AVGVSTINI HVNNAEI

PRODIDAGMATA

DE DIALECTICIS VOCVM AFFECTIONIBVS ET PROPRIETATIBVS:

Non modò Philosophiæ, verùm etiam alterius cuiusuis disciplinæ studiosis, ad obscurorum locorum tenebras depellendas, veritatémque faciliùs eruendam, vtilissima.

Quæ accesserunt, versa pagella indicabit.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXXIIII.

ACCESSERVNT istis Prodidagmatis aliquot vocis significantis, vsitatæ apud Dialecticos diuisiones.

PRÆTEREA

EROTEMATA DE DISPVTATIONE Dialecticè recteque instituenda.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. RVMOLDO HVNNÆO, MONASTERII BOneffienſis Abbati digniſſimo, patruo vnicè obſeruando, Auguſtinus Hunnæus Machlinianus, S. P. D.

ETsi *mihi nunquam fuit dubium, patrue in primis obſeruande, quin totus religioſorum Boneffienſium cœtus, pro tuis ſummis in ipſum meritis, & pro ſpectata illa tua pietate ac eruditione, qua tot annos cæteris hactenus præluxiſti, ſuis te ſuffragiis Abbatem creaturus eſſet; tamen ſingularem & incredibilem cepi lætitiam, cùm mihi nunciatum eſt id iam perfectum eſſe (quod fore multò antè præſenſeram) aſſentiente vltro atque approbante Cæſ. Maieſtate, quæ neminem, niſi vita & doctrina probatiſſimum, honoribus huiuſmodi ornare conſueuit. Credo ego hunc tibi quaſi gradum quendam atque aditum (quod & maioribus tuis antè contigit) ad altiora fore. Quid enim prohibet, quo minus ex pari virtute parem quoque expectemus euentum?*

Ex tuis maioribus alius Abbatem agit Diui Trudonis: alius, cui tu ſuccedis, monaſterij Villarienſis abbatiam, ſibi ne cogitāti quidem vltrò (vt intelleximus) oblatam recuſare nō potuit, Cæſare, vt ſuſciperet, imperāte. Tantos ſemper viros & religione & doctrina inſignes cœnobium Boneffienſe habuit, hodieq́; habet.

Nouum hunc honorē, patrue vnicè obſeruande, tibi ex animo gratulor, & vt ad Dei Opt. Max. laudem, gregisq́; tibi commiſſi ſalutem vertatur, exopto. Atque vtinam heſternum illum diem mihi optatiſſimum, quo Abbas deſignatus es, præſens videre potuiſſem, cum fratre tuo iuniore eodēq́; patruo meo, D. Gulielmo

Hunnæo, celeberrimæ optimæq́; compositæ & constitutæ Machliniane ciuitatis Senatore præstantissimo, qui ad te profecturus, me sibi itineris comitem flagitabat.

Vtinam tunc, pro beneficiis illis amplissimis, quibus (à morte fratris tui natu maximi, patris mei Ioannis Hunnæi, viri claræ memoriæ ac præstantis eximijq́; suo tempore ciuis Machliniani) me semper omni cum humanitate ac fauore prosecutus es, opera aliqua meum erga te studium licuisset declarare.

Quam quidem potestatem cùm mihi tertiana febris, quæ totum hoc trimestre me affligere non cessat, eripuerit; ratus sum non fore ingratum, si chartaceo saltem munusculo quopiam, meam in te (cui vni post Deum mea studia accepta fero omnia) obseruantiam omnibus testatam redderem. Verùm nihil R. T. P. dignum (quod vehemẽter doleo) per febres licuit tractare.

Ad manum erant quæ tibi offerimus Logices PRODIDAGMATA *de dialecticis Vocum affectionibus & proprietatibus, post Louaniensem editionem Romæ superiori anno apud Valerium Doricum & Aloysium fratres Brixienses excusa: sed ita interim succisiuis horis ad limam reuocata, & castigata, commonstrato vbiq; diligentiùs præceptionum vsu; vt videri queant prorsus noua.*

Hoc opusculum pueris dumtaxat, & artis Dialecticæ tyronibus scriptum, licet sit indignum quod sub tuo nomine diuulgetur; tantisper tamen quæso obseruantiæ, qua R. T. P. colo, fidem faciat, dum philosophicis (quorum professioni iam valediximus) relictis, in Theologico studio, quod iam toto pectore meditamur, tantos auspice Christo fecerimus progressus, vt in ea disciplina aliquod argumentum tuo nomine dignius tractare liceat. Bene vale Mæcenas optime. Pridie Idus Nouemb. Anno salutis humanæ 1554. ex Castrensi Gymnasio, Louanij.

ANTO-

ANTONIVS MEYERVS BALLIOLANVS, DE LAVDIBVS ET SCOPO AVCTORIS, AD LECTOREM.

DISPLICET ars nulli Dialectica: quippe fatendum est,
  Ingenio humano dignius esse nihil.
Sed quæ ducit eò salebris incommoda multis,
  Semita prima, rudes terret agitq; retro:
Rerum ac verborum tot monstra in limine paucos
  Ferre pedem Logices sub penetrale sinunt.
Artibus in reliquis secli manifesta prioris
  Somnia, vindicibus non caruêre suis.
Cur hic cessatum magis est? Logicámne professus,
  Negligere hoc ipsum, quod profitêre, potes?
Ergo opus ingenio fuit, & simul ore Latino,
  Rebus inornatis vnde medela foret.
Sed nec iudicium, nec debuit vsus abesse,
  Nec vacuum indocti pectus amore gregis.
Atqui præstiteritne hæc cuncta disertus Hunnæus,
  Non dubium est vlli: res facit ipsa fidem.
En via quæ Logices te sub penetralia ducat,
  Commodiùs multò quàm solet vlla prius.
Nulla sophistarum portenta in limine primo,
  Tristia verborum monstra nec vlla vides.
Sermo adeò est purus, Romanus vt ipse requirat
  Hîc nihil, & natum credat in vrbe sua.
Certè Romana liber est incude renatus:
  Tam Latio placuit Machliniana phrasis.
Desinat hoc præceptor opus dictare quotannis:
  Desinat articulos sollicitare puer:
Hîc quia vestibulum præclaræ panditur artis,
  Quod minimo quinis ære subire queat.
Purgare Augiæ stabulum, prodesse iuuentæ,
  Hic scopus auctoris, propositumq; fuit:
Editione cupit qui tædia tollere longa
  Scribendi, & studiis otia iusta dari.

SCOPVS ET VTILITAS PRODIDAGMATVM LOGICES.

VETERI atq; laudabili ſcholarũ philoſophicarũ conſuetudine receptũ eſt, vt qui Ariſtotelis Logicam publicè ſunt enarraturi, priuſquã ſuos diſcipulos ad huius artis penetralia admittãt, eos antè vtiliſſima quadã doctrina de ſimpliciũ verborũ varia acceptione & multiplici vſu inſtruãt atq; præmuniãt. Quapropter huius generis præceptiones nos Προδιδάγματα appellauimus, quæ huc potiſſimùm ſpectãt, vt multiplex vocabulorùm acceptio, quæ paſſim in diſputationibus & doctorũ hominũ monumẽtis obuia eſt, facilè dignoſci & diiudicari queat. Etenim quemadmodum idem homo ſola vultus atque geſtus mutatione varias animi ſui affectiones prodit atq; patefacit; ita quoq; vnũ idemq; vocabulum, ſola ſignificãdi ratione mutata, nunc hanc rem, nunc aliã à priori longiſſimè diſſitam nobis deſignat. Idem enim vocabulum aliàs denotat communem ſpeciem, aliàs indiuidua; aliàs latiùs patet, aliàs anguſtiùs accipitur: vt cùm dico, Homo eſt ſpecies; hîc (homo) denotat non Petrum aut Ioannem, ſed ſpeciẽ, hoc eſt, naturã quandam omnibus hominibus communem. Si verò dicam, Aliquis homo eſt ſpecies; falſum dixero: quia propter ſigni particularis adiectionem, indiuiduum intelligi neceſſe eſt: quemadmodum etiam cùm dicitur, Homo currit, intelligimus indiuiduum aliquod: nam actiones non ad ſpecies, ſed ad indiuidua referri debent.

Hæc animaduerſio non in philoſophia modò, ve-

rùmetiam in quauis diſciplina prorſus eſt neceſſaria,ad verũ à falſo prudẽter ſecernendum. Quocirca quicunque hæc ignorat,aut non aduertit, is haud dubiè & in veritate indaganda, & in detegenda falſitate (qui duo proprij ſunt Dialecticæ fines) turpiter hallucinetur oportet. Quare monendi ſunt iuniores, vt ad hanc Dialecticæ partem diſcendam omni conatu atque diligentia incumbant,alioqui præſtãtiſſimis ſuperiorum diſciplinarum fructibus maxima ex parte fruſtrandi.

Nec minus iſta attentio neceſſaria eſt, videre quando latiùs vagetur vocabulũ, quãdo ſit anguſtiùs accipiendum: vt apud A. Gellium peruetuſtæ legis Atiniæ verba hæc ſunt, Quod ſurreptum erit,eius rei æterna auctoritas eſto: vbi quis aliud quàm de futuro tempore legem loqui ſuſpicetur,cùm dicit, Quod ſurreptum erit? Attamen ad præteritum referenda verba eſſe, P. Nigidij & Q. Scæuolæ ſententiam fuiſſe refert Gellius: nec ratione caret,quæ poſtea declarabitur,cùm de eiuſmodi difficultatibus enucleandis præcepta trademus.

Hîc autem, Omne animal fuit in arca Noë, ſecundũ eum ſenſum quo iſtud dictum Gen. 7 cap. vſurpatur, vniuerſalis affirmatio non tam latè patet, quàm ſolet alioqui patere; ſed aſtricta eſt ad ſpecies, ſiue ad certa earum indiuidua; vt hic ſit ſenſus, Cuiuſque ſpeciei animalis quædam indiuidua fuerunt in arca Noë.

E quibus facilè omnes intelligũt,quàm ſit, non dico vtile, ſed neceſſarium, cognitos habere varios ſignificãdi modos, quibus fit, vt eadẽ vocabula ad res maximè diuerſas ſignificandas adhibeãtur, dum nũc commune quiddam, ſeu rei naturam in genere, nunc rem ſingularem (vt modò dictum eſt) denotãt: aliàs τεχνικῶς pro ſe aut ſimili accipiuntur. Rurſus aliquando latiùs patent, aliquãdo anguſtius contrahuntur. Has vocum affectio-

nes atque significandi varietates in præsentia tractare & explicare nobis est propositum, in qua explicatione vt maximam rerum, ita non minimam verborũ ducemus rationem, ne res cognitu dignissimæ verborũ sordibus inquinatæ, ab adolescẽtibus excelso & generoso animo præditis, magno ipsorũ detrimento, respuãtur. Etenim tanta est huius Dialecticę partis vtilitas, vt nõ dubitem asserere, illos qui vel mediocrem in ea cognoscẽda posuerint operã, plurimas quæstiones, alioquin maximis difficultatibus implicatas, nullo negotio esse dissoluturos, quod in maximis grauissimisque professionibus viri doctissimi (vt ipsimet, nobis gratias pro edito libello agentes, retulerunt) quotidie experiuntur.

Qui sint huius Dialecticæ partis inuentores.

HÆC Dialecticæ pars sagaci maiorum industria inuẽta est, ac sollemni more in academiis, ad Aristotelem accessuris, per manus tradita, non quòd ignorarent prudentes illi viri ingeniosos & grammatica feliciter institutos adolescentes suo Marte hæc vtcunque assequi posse; sed quòd longo vsu edocti, didicissent, nunquam adeò ingeniosos & in Grammaticorum palęstra ita exercitatos inueniri, vt se ex istius partis Dialecticæ difficultatibus commodè extricare queant: proinde harum præceptionum adminiculis, infirmam adhuc & vacillantem illorum cognitionẽ sustentandã & paulatim corroborãdam iudicauerunt. videbant enim plurima quæ apud grauissimos auctores traduntur, & maximè apud Aristotelem, vt sunt opposita, syllogismi, elenchi, & alia permulta, sine huius sciẽtiæ adminiculo perfectè intelligi atque comprehẽdi non posse; ac, vt semel dicam, animaduertebãt nihil de quæstione vlla rectè statuere eum posse, qui vocabulorum affectiones, vim, & propriam energiam ignoraret. Quẽadmodum enim

enim in ſubducendis calculis qui rudes ſunt, & quid ſuo quique loco valeant calculi neſciũt, ab iis qui ſunt in eo genere periti, facilè circumueniuntur: ita in ſermonibus conferendis, eos qui ignorant quæ ſit verborum vis & ſignificatio, facilè ſiue diſſerãt ipſi, ſiue aliorum audiant ſermones, decipi dicit Ariſtoteles.

Porrò cùm in iis rebus explicandis verſarentur maiores noſtri, in quibus neminem Latinorum, qui inter diſertos recenſeretur, ſequi liceret; multa rebus nouis noua vocabula excogitare neceſſe habuerunt, vt delicatioris palati lectores, merito æquis & patientibus auribus ferre debeant inuſitata aliquãdo & inaudita huius diſciplinæ verba. Neq. enim id in hac arte dũtaxat vſu venit. Nam ſunt (vt Romanæ eloquentiæ princeps Cicero teſtatur) ſua cuique diſciplinæ propria quædam & peculiaria vocabula, quibus ſæpenumero non minus cognitu neceſſariæ res ſubiiciuntur, quàm aliis quæ in communi hominum vſu atque ſermone peruagantur. Quòd ſi forſitan iſtud ab illis impetrari nequeat, hoc ſaltem impetretur, vt ipſi ex ſuo penu commodiora depromant vocabula, quibus ſine rerum detrimento orationi ſuus nitor, omni aſperitate atque nouitate ſublata conſeruari poſſit, libenter eis vtemur, & magno nos ab illis affectos eſſe beneficio ingenuè fatebimur. At ſurdis, vt equidem arbitror, iſta occinitur cantilena, quapropter illis omiſſis rem aggrediemur: iſtud tamen prius commonentes, vocabulum Termini, quod hîc nulla neceſſitate coacti, initio definire & diuidere ſolent, vt barbarum in ea ſignificatione à doctis explodi, qui nunc verbum, nunc nomen, nunc vocabulum, nũc vocem pro eo dicere malunt. quod & nos eruditiores imitati in his Prodidagmatis eorumque appendice facturi ſumus.

Quodnam sit inter grammaticas & dialecticas proprietates discrimen.

QVemadmodum nomini Qualitatē, Comparationem, Declinationē & similia accidere tradit Donatus; ita Dialecticus monet, vocibus accidere Acceptionem Technicam, Simplicem, & Personalem: item Ampliationem, Restrictionem: deniq. Appellationem & Expositionem. Quarum affectionum nonnulla nomina fatemur quidem parum esse Latina; quia tamen sunt in scholis trita, & rem ipsam satis commodè declarant, retinēda putauimus, ne vllas huic arti, quam illustrare conamur, citra necessitatem offunderemus tenebras: nam & in dialectica & omni alia disciplina in primis obseruandum est, vt si vtrunq. haberi non possit, doctrinæ potiùs perspicuitati atq. veritati, quàm inani verborum quamuis elegantium nitori seruiatur. Accidit enim sæpe illud: Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Neque tamen propterea passim cum vulgo sophistarum, citra omnē necessitatem à sermonis Latini puritate recedendum arbitramur Sed ad rem veniamus.

Hoc inter dialectica & grammatica vocum accidētia interest, quòd horum cognitio ad sermonis puritatem tuendam pertineat, illorum verò notitia ad veritatem orationis, & argumentationis firmitatē perspiciendam, atq. cōseruandam sit necessaria. Quemadmodū igitur Grammaticus dum purè & emēdatè loquēdi normam tradere studet, minutias illas, Quot sunt genera nominum, quot declinationes, quot casus, & similes vocum affectiones, sine quarum cognitione sermonis puritas nec intelligi quæ sit, nec intellecta cōseruari posset, primum tractat: ita & Dialecticus has vocum affectiones initio præmittere cōsueuit; quibus mutatis, etiam veritas in oratione aut falsitas mutatur, & in argumētationibus

nibus variatur consecutio. Nec magis Dialecticus sine acceptione Technica, Simplici, aut Personali: sine Restrictione, Ampliatione, cæterisque id genus verborum affectionibus iudicare poterit de pronuntiatorum veritate atque falsitate, aut adulterinam argumentationē à legitima distinguere atq. separare, quam Grammaticus sine notitia generis, declinationis, casus, coniugationis, & similiū, de sermonis probata & emēdata cōstructione. Vnde sicut ineptus sermo est, Mulier malus; ita hæc argumētatio est vitiosa, Homo est species, ergo vel Ioānes est species, vel Petrus; & ita de aliis. Ratio in promptu est, & latiùs posteà suo loco explicabitur: quia ex voce quæ pro εἴδει seu specie accipitur, nō licet inferre eius indiuidua: quod dicere solēt, Non licet argumentari ab acceptione technica aut simplici ad personalem: sicut nec contrà, à personali ad technicā aut simplicem.

Vt igitur istas, de quibus modò diximus, vocum dialecticas proprietates ordine pertractemus, primùm quid sit vocis acceptio exponemus, deinde reliqua suo quæque loco explicabimus.

Est igitur vocis acceptio, in præsenti tractatu nihil aliud nisi vocabuli cuiuspiam ad aliquid denotandum, vnde enuntiationis veritas, aut falsitas æstimanda est, vsurpatio. Cùm enim ipsis per se rebus in medium prolatis (vt habet Aristoteles in Elenchis) constare disputatio non possit (non enim quomodo ex digestis simul floribus frondibusque sertum texitur; sic propositionem aut syllogismum ex rebus ipsis de quibus disputatio est, connectere licet) verbis quasi notis quibusdam pro rebus vti cogimur.

Ex iis autem rebus ęstimatur veritas aut falsitas orationis, quas secundum probatam & vsitatam loquendi consuetudinem ipsum vocabulum in tali loco positum

rem designat, vt in hac enuntiatione, Omnis homo est mortalis, vox (homo) licet sua significatione aliquo modo comprehendat non modò homines viuos, verùm etiam mortuos & pictos; tamen in recitata iam oratione accipitur duntaxat pro viuis: vocabulum enim (homo) in ista enuntiatione positum secundum vsitatam loquendi consuetudinem tantummodo viuos homines denotat. Vnde perspicuum est, magnum esse discrimen inter vocis significationem & eius acceptionem. licet enim multa & varia sæpenumero vox significet, non tamē pro iis omnibus semper accipitur, sed pro iis tantùm accipi putanda est, quæ in tali oratione denotātur, ex quibus solis orationis veritas & falsitas est metiēda.

ACCEPTIONIS DIVISIO.

Tria sunt genera Acceptionum:
- Technicum,
- Simplex,
- Personale.

Accipiūtur enim voces in oratione vel pro

- SEIPSIS: quando ea quæ vocibus propria sunt, neq. in res ipsas cadūt, tractamus: vt cùm in institutionibus Grammaticis dicimus, Amo est verbum, & similia. Item cùm Dialectici dicunt, Homo albus, est oratio imperfecta, & sic de cæteris, quam acceptionem Technicam appellamus.
- REBVS significatis: quando videlicet rerum naturas, accidentia aut proprietates explicamus: vt ferè fit in Mathematicis disciplinis, in Physicis, Metaphysicis & Ethicis: in Medicina, vtroque Iure, & Theologia.
  - *Res autem significantur bifariam*:
    - ALIQVANDO primò, vt cùm Dialectici dicūt, Animal est genus, loquentes de natura communi ac generali animalis. Et hāc acceptionem vocamus Simplicem.
    - ALIQVANDO secundo, vt in hac oratione, Nulli segnes pusillanimesq; vnquam sunt palmam consecuti: quæ Platonis sententia de singulis hominibus pigris & pusilli animi intelligitur. quam quidem acceptionem Personalem nominamus.

Quis

Quis sit eorum quæ iam dicta sunt, vsus.

QVAM nũc indicauimus diuersam vocum acceptionem, ea tantùm ad verum falsúmque prudenter iudicandum pondus habet, vt temerarius iure dicendus mihi videatur, quisquis in vllo disciplinarum genere, nõ in Dialectica solùm, hac distinctione prorsus ignorata, se arbitretur aut de vlla quæstione paulò difficiliore, aut de eruditorum hominum accuratioribus scriptis posse iudicare. Qui verò hanc vocis acceptionum diuersitatẽ probè cognitã habuerit, is ex immensa rerum per vnum idemque vocabulum significatarum turba (nulla enim vox est quin plurima & maximè diuersa significet, varieq; vsurpetur) statim proposita qualibet oratione videbit pro quibus rebus singula eius verba accipi debeant, & ex quibus illorum significationibus veritas aut falsitas sit æstimanda.

DE TECHNICA ACCEPTIONE,

Quæ cæteris est facilior, & apud Grammaticos etiam vsitata.

TEchnicῶs accipitur vocabulum, quod pro voce vel scriptura ponitur, ad quam significandam non est institutum, vt subiectum huius pronuntiati, Fur est nomen trium litterarum: Item huius, Animal est neutrius generis, τεχνικῶς accipitur non pro re ad quam significandam est destinatum, qua acceptione esset apertè falsa posterior enuntiatio, cùm natura quodlibet animal mas sit aut femina.

Sciant ergo iuniores, vocabula ferè sumi Technicῶs, quandocunq. in eorum expositione rectè additur (hæc scriptura) (hæc vox) aut simile quidpiam. Vt exempli prioris sentẽtia est, quòd ista vox (fur) sit nomen ex tribus constans litteris: posterius exemplũ significat illam ipsam vocem (animal) esse generis neutrius. neq; tantùm simplicia verba, sed etiã integræ orationes capiuntur

tur Technicῶs; vt cùm dicũt Dialectici, Virtus medium tenet inter extrema vitia; est enuntiatio simplex. Tota ista oratio, Virtus medium tenet inter extrema vitia, accipitur Technicῶs. Similiter cùm dicimus, Obsequium amicos, veritas odiũ parit, scripsit Terentius: Nam sensus est, hæc verba (Obsequium amicos, veritas odium parit) sunt apud Terentium. Patitur enim enuntiatio non minus quàm vocabulum simplex, acceptionem technicam, non autem simplicem neque personalem.

Adiecimus definitioni (ad quam significandam non est institutum) ad excludenda vocabula, quæ pro vocibus aut scripturis ex prima sua impositione atque institutione vsurpantur. Vnde cùm dico, Vox auditu percipitur, Scriptura in locum vocis substituitur: Harũ orationum subiecta licet pro vocibus aut scripturis accipiantur, non technicam tamen, sed personalem habere acceptionem indubitatum est. Nam pro iis sumuntur ad quæ denotanda ab initio instituta fuerunt.

Vox Technicῶs accepta variè vsurpatur:

Nimirum pro

SEIPSA: Cùm denotat illam ipsam vocẽ quæ in ipsa enuntiatione sita est: vt homo est nominatiui casus.

SIMILI: Cùm denotat vocem similem illi quæ in ipsa enuntiatione sita est: similem, inquam, in numero & casu, sed in alia oratione positam: vt homo dicitur de Catone. vbi (homo) pro simili voce capitur in hac enuntiatione posita, Cato est homo.

DISSIMILI: Cùm denotat eandem quidem vocem, quæ in oratione posita est, sed alterius numeri vel casus, vt in superiori exemplo, ablatiuus (Catone) accipitur Technicῶs pro nominatiuo posito in ista, Cato est homo.

DE ACCEPTIONE QVAM SIMPLICEM DIALECTICI VOCANT.

SECVNDVM Dialecticorum sententiam, vox simpliciter accipi dicitur, cùm in oratione locata denotat

tat

tat rem aliquam seu notionem generalem, cui significandæ primò & præcipuè fuerat destinata. Vt autem istud meliùs intelligatur, aduertendum est, quòd licet reipsa eadem sit res quæ dicitur Ioannes, homo, animal, corpus, substantia; tamen vnumquodque illorum vocabulorũ alio atque alio mentis conceptu rem illam eandem repræsentat: quod sic declarari potest. Possum adeò generatim mente comprehendere illam rem quæ est Ioannes, vt eam solũ corpus esse cogitem, non etiam quòd sit viuens, aut non viuens. Item cogitare possum eadem de re quòd sit animal, non cogitans hominẽ esse aut bestiam: atque ita deinceps in reliquis. Cùm igitur vocem aliquam intelligimus, vt non referamus mẽtem ad aliquid particulare quod voce illa significetur: sed omnibus inferioribus veluti neglectis rẽ primò significatam seorsum veluti ideam quandam intuemur, simpliciter, seu, quod idem est, sub propria ratione vocem dicimur accipere, quomodo accipiuntur subiecta istarum enuntiationum, Homo est species; Argumentatio est subiectum logices. Hìc enim non ad inferiora, vel ad ea quæ à Dialecticis denominata vocãtur, respiciendum est; sed in sola ac simplici re communi primò significata figenda est cogitatio.

Itaque acceptio hæc propterea simplex dicta videtur, quòd per eam vox pro re communi vt nuda & simplex est, non autem vt coniuncta est proprietatibus accidentibusque inferiorum, in oratione ponatur: vnde vox sic accepta neque vniuersale neque particulare signum admittit, quòd hęc euocent mentẽ ad inferiorum eius vocis, cui adhærent, cõsiderationem. Vt cùm dico, Homo est species, hìc subiectum accipitur simpliciter pro humana natura, omnibus hominibus conueniente. Si verò ita diceretur, Nullus homo est species, muta-

retur

tur Technicῶs; vt cùm dicũt Dialectici, Virtus medium tenet inter extrema vitia; eſt enuntiatio ſimplex. Tota iſta oratio, Virtus medium tenet inter extrema vitia, accipitur Technicῶs. Similiter cùm dicimus, Obſequium amicos, veritas odiũ parit, ſcripſit Terentius: Nam ſenſus eſt, hæc verba (Obſequium amicos, veritas odium parit) ſunt apud Terentium. Patitur enim enuntiatio non minus quàm vocabulum ſimplex, acceptionem technicam, non autem ſimplicem neque perſonalem.

Adiecimus definitioni (ad quam ſignificandam non eſt inſtitutum) ad excludenda vocabula, quæ pro vocibus aut ſcripturis ex prima ſua impoſitione atque inſtitutione vſurpantur. Vnde cùm dico, Vox auditu percipitur, Scriptura in locum vocis ſubſtituitur: Harũ orationum ſubiecta licet pro vocibus aut ſcripturis accipiantur, non technicam tamen, ſed perſonalem habere acceptionem indubitatum eſt. Nam pro iis ſumuntur ad quæ denotanda ab initio inſtituta fuerunt.

Vox Technicῶs accepta variè vſurpatur:

Nimirum pro

- SE IPSA: Cùm denotat illam ipſam vocẽ quæ in ipſa enuntiatione ſita eſt: vt homo eſt nominatiui caſus.
- SIMILI: Cùm denotat vocem ſimilem illi quæ in ipſa enuntiatione ſita eſt: ſimilem, inquam, in numero & caſu, ſed in alia oratione poſitam: vt homo dicitur de Catone. vbi (homo) pro ſimili voce capitur in hac enuntiatione poſita, Cato eſt homo.
- DISSIMILI: Cùm denotat eandem quidem vocem, quæ in oratione poſita eſt, ſed alterius numeri vel caſus, vt in ſuperiori exemplo, ablatiuus (Catone) accipitur Technicῶs pro nominatiuo poſito in iſta, Cato eſt homo.

DE ACCEPTIONE QVAM SIMPLICEM DIALECTICI VOCANT.

SECVNDVM Dialecticorum ſententiam, vox ſimpliciter accipi dicitur, cùm in oratione locata denotat

tat rem aliquam ſeu notionem generalem, cui ſignificandæ primò & præcipuè fuerat deſtinata. Vt autem iſtud meliùs intelligatur, aduertendum eſt, quòd licet reipſa eadem ſit res quæ dicitur Ioannes, homo, animal, corpus, ſubſtantia; tamen vnumquodque illorum vocabulorũ alio atque alio mentis conceptu rem illam eandem repræſentat: quod ſic declarari poteſt. Poſſum adeò generatim mente comprehendere illam rem quæ eſt Ioannes, vt eam ſolũ corpus eſſe cogitem, non etiam quòd ſit viuens, aut non viuens. Item cogitare poſſum eadem de re quòd ſit animal, non cogitans hominẽ eſſe aut beſtiam: atque ita deinceps in reliquis. Cùm igitur vocem aliquam intelligimus, vt non referamus mẽtem ad aliquid particulare quod voce illa ſignificetur: ſed omnibus inferioribus veluti neglectis rẽ primò ſignificatam ſeorſum veluti ideam quandam intuemur, ſimpliciter, ſeu, quod idem eſt, ſub propria ratione vocem dicimur accipere, quomodo accipiuntur ſubiecta iſtarum enuntiationum, Homo eſt ſpecies; Argumentatio eſt ſubiectum logices. Hîc enim non ad inferiora, vel ad ea quæ à Dialecticis denominata vocãtur, reſpiciendum eſt; ſed in ſola ac ſimplici re communi primò ſignificata figenda eſt cogitatio.

Itaque acceptio hæc propterea ſimplex dicta videtur, quòd per eam vox pro re communi vt nuda & ſimplex eſt, non autem vt coniuncta eſt proprietatibus accidentibuſque inferiorum, in oratione ponatur: vnde vox ſic accepta neque vniuerſale neque particulare ſignum admittit, quòd hęc euocent mentẽ ad inferiorum eius vocis, cui adhærent, cõſiderationem. Vt cùm dico, Homo eſt ſpecies, hîc ſubiectum accipitur ſimpliciter pro humana natura, omnibus hominibus conueniente. Si verò ita diceretur, Nullus homo eſt ſpecies, mutaretur

retur vocis (homo) prior acceptio, & ex ſimplici, propter ſignum vniuerſale adiectum, fieret perſonalis, hoc eſt, iſta vox, homo, nõ amplius humanam naturã communem omnibus hominibus deſignaret, ſed ſingulos homines illam naturam participantes ſignificaret.

Ex ſenſu verborum & auctorum vſu maximè eſt iudicandum, quæ voces & quando ſumantur Simpliciter. Ita enim ſemper enuntiationes oportet interpretari, quemadmodum eas probatiſſimi quique ſcriptores accipere ſolent.

Eiicienda proinde ex ſcholis eſt barbara illa licentia abutentium vocibus pro arbitratu, easque dum placet τεχνικῶς, dum aliter viſum eſt, Perſonaliter aut Simpliciter in eodem enuntiato accipientium. Dicet aliquis, Ego ſic intelligo. Cui reſpõdemus, Licet ſic intelligas, non tamen ob id orationis ille ſenſus dicetur, qui omnium eruditorum comprehẽſioni & interpretationi eſt contrarius. Ex hac interpretandi licentia mille non minus indoctæ, quàm futiles & odioſæ diſtinctiones olim emerſere: dum putarent quidam indocti homines piaculum eſſe aliquid aſſerere aut negare, niſi prius decem aut viginti diſtinctionibus præmiſſis: quorum opinio vt leuis & ridicula, explodenda eſt: nam in oratione excutienda, ante omnia animaduertẽdum eſt, quid communis rectè loquentium vſus, quid ſermonis vis atque proprietas, & loci circũſtantiæ poſtulent, aut patiantur: ex quibus omnibus diligenter põderatis, de oblatę orationis veritate aut falſitate eſt pronuntiandum. Eſt igitur acceptio Simplex ex vſu maximè petenda. poterunt tamen ſequentes regulæ ad eam certiùs cognoſcẽdam, atque faciliùs diſcernendam, non parum adiuuare.

PRIMA REGVLA.

Quandocunque ſubiecto communi tribuitur aliqua proprie-

proprietas dialectica rebus in genere ſumptis conueniens, eiuſmodi ſubiectũ ſimpliciter accipitur: vt, Homo eſt ſpecies, Animal eſt genus. Similiter (quia plauſibilior eſt vocũ pro rebus, quàm pro vocibus acceptio) vbi vtraque tolerari poteſt, & technica & ſimplex acceptio, ſimpliciter potius quàm τεχνικῶς verba ſunt accipienda: vt in ſubiectis iam poſitarum enuntiationum accidit: item in iſta enuntiatione & ſimilibus, Argumentatio eſt ſubiectum logicæ.

SECVNDA.

Quandocunque à genere aut ſpecies aut differentiæ ſeparantur, vocabula, quæ genus, ſpecies, aut differẽtias denotant, ſimpliciter accipiuntur: vt, ſi deſignando diſtinctionem ita dicatur, Animal neque eſt homo, neque beſtia; item, Animal neque eſt rationis particeps, neque rationis expers: quomodo nonnunquam loquitur Porphyrius, vt vbi explicans primam differentiæ definitionem, dicit hominem ratione atque mortalitate vincere animal: & ſubdit, τὸ γὰρ ζῶον, οὔτε οὐδὲν τούτων ἐστίν. i. ad verbum, Animal enim nihil iſtorũ eſt. Vbi τὸ ζῶον animal, capitur ſimpliciter pro natura animalis; quæ neutrum in ſe actu comprehendit, ſicut homo.

TERTIA.

Semper vocabulum commune ſumitur Simpliciter, quoties id poſtulat vox adhærẽs: ſic accipitur genitiuus (hominis) cùm Porphyrius dicit, hominis communis proprietates eaſdem eſſe in multis, imò verò in ſingulis hominibus, vt homines ſunt, reperiri cùm enim adiecit (communis) intelligi voluit hominem notione communi, ſeu generali comprehenſum.

Iſtud quoque de vocibus ſimpliciter acceptis eſt notandum; ridiculam eſſe & ſophiſticam eam argumentationẽ, in qua à voce ſimpliciter accepta, ad eius inferius

B. aut

aut ſuperius proceditur, fallax enim & explodenda eſt eiuſmodi argumẽtatio, Homo eſt ſpecies infima, igitur animal eſt ſpecies infima: ſimiliter iſta, Subſtãtia eſt genus ſummum, igitur vel corpus vel angelus eſt genus ſummum. Sed de hoc vitioſo argumentandi genere in Topicis proprius eſt dicendi locus: proinde nolumus hîc in eo declarando immorari. Hactenus de Simplici acceptione: in qua declarãda ſi prolixiores æquo fuiſſe videamur, in rei difficultatem culpa conferatur. Nunc de Perſonali, quanta fieri poterit breuitate, dicemus.

DE ACCEPTIONE QVAM VOCANT PERSONALEM.

PErſonalem ideò vocauerunt Dialectici hanc acceptionem, quòd vox pro rebus ſingulatim enumerandis veluti perſonis quibuſdam ſeparatim recẽſendis accipiatur: vel quòd præcipuè res ſingulares, pro quib⁹ in hoc acceptionis genere vox cõmunis accipitur, ſint perſonæ: vt in hoc pronuntiato, Homo plerumque homini bellua eſt: τὸ (homo) non pro vniuerſa hominum natura ponitur, ſed pro ſingularibus quibuſdam & definitis hominibus, qui omni humanitate repudiata, ſub hominis figura belluinam gerunt immanitatem.

Item cùm dicitur, Nulla quercus tuta eſt à fulmine; hîc ſubiectũ perſonalẽ habet acceptionem, ſumiturque pro ſuis inferioribus ſeu minus communibus ſingulatim enumerãdis hoc modo: Neque hæc quercus, neque illa à fulmine tuta eſt. Inſuper cùm dicimus, Album poteſt denigrari: vox (album) ſumitur pro denominato (quod vocant;) videlicet pro pariete, aut aliquo alio quod ab inhærẽte ſibi albedine nominatur albũ. Similiter dũ dicimus, Genus dicitur de ſpecie; accipitur iſta vox (genus) perſonaliter pro denominatis (vt loquuntur;) nimirum pro animali, pro corpore, aut ſimili aliquo,

quo, cui generis appellatio nomenque conuenit. Neq; est quòd quisquam miretur, hanc acceptionem vocari personalem, animaduertens non omnes voces, quibus hæc acceptio tributa est, significare personas. (Aliquæ enim denotant res, quæ à personis non parũ differunt. Vnde Rhetores locos personarũ & rerum distinguunt, & Iurisconsulti quoque actiones personales ab iis quæ in rem dicuntur, seiungunt.) Meminisse enim oportet personæ nomen metaphoricam, non propriã hoc loco habere significationẽ; vt videlicet denotet inferius vel denominatum vocis in quouis genere rerum. Nihil igitur impedit, quo minus personalem acceptionẽ ad omnes voces transferamus, quæ pro rebus singularibus in oratione ponuntur. Potest etiam dici non esse necessarium (vt omnes Dialectici fatentur) nominis rationem cunctis accommodari, quibus ipsum nomen tribuitur.

Vsus acceptionis Personalis, Simplicis & Technicæ.

ACceptio vocum Personalis omnium maximè generalis est, & lõgè vsitatissima: nam omne nomen in oratione positũ nisi propter aliquã caussam ad aliam acceptionem trahatur, personaliter accipi debet. Quid autem vocẽ ad technicam vel simplicem acceptionem trahere possit, ex iis quæ superius diximus, manifestum est. Horum autem trium acceptionis generum tantum est discrimen, vt omnes argumentationis formulas vitient, si mutentur. Itaque in argumentationibus, oppositionibus, ac aliis deniq; omnibus, in quibus eadẽ vox sæpius repeti debet, diligenter est obseruandum, vt in eadem voce repetẽda, idem quoque acceptionis genus retineatur. Nam voces pro diuersitate acceptionis, nũc Simplicis, nunc Personalis, nunc Technicæ, diuersum quoque habent significãdi modum, & maximam efficiunt in sensu mutationem, vt ex iis quæ paulò antè di-

ximus, facilè quiuis intelligere poteſt. Attentè igitur hæc in enunciationibus oppoſitis, in Syllogiſmis, & aliis quæ in Dialectica traduntur, ſunt aduertenda, ne per harum acceptionum latentem mutationem nobis imponatur.

Diuiſio acceptionis Perſonalis.

QVoniam igitur acceptio Perſonalis latiſſimè patet. & in oratione eſt frequentiſſima, operæpretium fuerit accuratiùs eam tractare: quare eius diuiſionem ſubiungemus.

ACCEPTIO PERSONALIS:
- COMMVNIS: Cùm vox communis pro rebus multis accipitur, de quibus ſecundum eandem ſignificationem poteſt verè dici: vt hic, Omnis virtus eſt digna laude. Subiectum (virtus) accipi ut cõmuniter pro omnibus quæ virtuti ſubiiciũtur.
- SINGVLARIS: Cùm vox indiuidua pro re ſingulari ſumitur: quomodo accipiuntur ſubiecta iſtarum orationum: Cicero eſt Romanorum eloquentiſſimus: Ariſtides eſt methodi, artificiiq́ue in tradendis diſciplinis obſeruantiſſimus: Hoc album eſt cygnus.

ADuerte nihil hìc referre, vtrum nomẽ ex propria ſua ſignificatione commune ſit, aut ſingulare, an ex recepto loquendi more. Nam cùm dicimus, Philoſophi ſententia eſt, (Vitæ additur, quod ſomno inerti detrahis,) nomine Philoſophi, per Antonomaſiam Platonem intelligentes; vox (Philoſophus) acceptionem habet ſingularem, quemadmodum cõtrà, communem acceptionem aſſumunt ſingularia, quoties non ad perſonam ipſam, ſed ad eius proprietatem aliquam denotandam vſurpãtur: vt cùm dicimus, Principes nimium tribuunt Gnathonibus ſuis; hic datiuus pluralis (Gnathonibus) communiter accipitur pro adulatoribus: licet Gnatho, ſi propriam eius ſignificationem ſpectes, nomẽ ſit propriũ, ac, vt Dialectici vocant, indiuiduum,

Vſus

Vſus ſuperioris diuiſionis.

IAm recitatę perſonalis acceptionis diuiſio maximam affert vtilitatem ad rectè intelligẽdum iſtud cõmune Dialecticorum præceptum, ſignorũ tam vniuerſalium quàm particularium cõmunes tantummodo voces eſſe capaces. id enim ita intelligendum eſt, vt neq; omnes voces communes includantur, neq; omnes ſingulares excludantur. Nam quãdo vox communis ſimpliciter, aut pro vno tantum per Antonomaſiam accipitur, nõ minus quàm ſingularis aut indiuidua, ſignorum reſpuit commercium. Singularis verò ſi ad denotandam communem aliquam affectionem vſurpetur, perinde vt illa quæ natura cõmunis eſt, ſignorum tam vniuerſalium quàm particularium fert adiunctionem.

Ac de ſingulari quidem acceptione hæc monuiſſe ſufficiat. Cæterùm de communi plura reſtant dicenda.

DE ACCEPTIONE PERSONALI COMMVNI.

COmmunis acceptio in tres vlterius ſpecies diuiditur:

Vniuerſalem, Confuſam, Determinatam.

Vniuerſalis acceptio eſt, qua vox communis ſumitur pro ſuis ſignificatis copulatiuè ſumptis: hoc eſt, pro omnibus ſuis inferioribus aut denominatis, pro quibus accipitur ſingulatim & per coniunctionem copulatiuam enunciationes connectentem enumerandis. Sic accipitur ſubiectum in hac oratione, Omnis homo eſt mortalis: nam ſenſus eſt, & hic homo eſt mortalis, & ille homo eſt mortalis, & ſic de cæteris omnibus hominibus, ita vt nullus ſit exemptus.

Cõfuſa eſt, qua vox cõmunis ſumitur pro ſuis ſignificatis diſiunctim aut copulatim ſumptis, hoc eſt, enumerandis per coniũctionem diſiunctiuam quidem, vel

copulatiuã,sed ita, vt ea coniũctio vnius extremi enunciationis simplicis partes,non autem integras enunciationes connectat: quo fit vt orationis veritas in hoc acceptionis genere ex omnibus simul significatis per disiunctum aut copulatum extremum recensendis,& non ex vno aliquo singularium æstimari debeat: quomodo accipitur attributum huius pronunciati,Omnis bestia est animal. cuius sensus est, Omnis bestia est vel hoc animal, vel illud, vel istud: & sic de cæteris omnibus disiunctim enumerãdis.Non enim necesse est vnum ac idem singulare animal designari,quod sit omnis bestia.

Porrò vox cõmunis tunc semper confusè & disiunctim accipitur, quandò sua inferiora vel denominata speciatim denotãs,vniuersalem alterius vocis acceptionem sequitur: vt in superiori exemplo, prædicatum, animal,confusè & disiunctim accipitur.At quãdo vox communis signum collectiuum sibi adiunctum habet, tunc confusè & copulatim accipitur: vt cùm dico,Omnia elementa sunt quatuor:sensus enim est,Ista elemẽta simul & copulatim sumpta, ignis, aër, aqua, & terra, sunt quatuor.Item,Omnes artes liberales sunt septem, id est,Istæ artes omnes simul sumptæ,Grãmatica,Rhetorica,Dialectica,Arithmetica, Musica, Geometria, & Astronomia,sunt septem.Vnde est aduertendum,nonnullas enunciationes, quales sunt iam dictæ, speciem quidem habere vniuersalium,non tamen esse vniuersales, sed ad singularium naturam propiùs accedere: vt planum est per eam,quam modò dedimus, interpretátionem, dum vtentes demonstrationis signo diximus, Ista elementa,istæ artes: vbi manifesta declaratur collectio:non autem rerum enumeratio singulatim faciẽda. Vnde & collectiuę dicuntur huiusmodi enunciationes,

Determinata acceptio est, qua vox communis accipitur

pitur pro iis quæ significat disiunctiuè sumptis, hoc est, per coniunctionem disiunctiuã, integras orationes, non partes alicuius extremi connectentẽ, enumerandis: ita nimirum, vt ratione vnius ex omnibus quæ voce communi significantur, tota oratio vera reddatur: vt in hac enuntiatione, Homo est discendi cupidus, vox (homo) determinatam habet acceptionem: ad hunc enim modum ea, pro quibus accipitur, sunt enumeranda: Petrus est discendi cupidus, vel Paulus est discendi cupidus, vel Pantaleon est discẽdi cupidus, & sic de reliquis omnibus singularibus hominibus. Ex qua enumeratione liquet, quòd, etiam si solus Pantaleon discendi cupidus esset, constaret nihilominus enuntiationis modò recitatæ veritas.

Diuisionis iam declaratæ vsus, & partium discrimen.

VNiuersalem acceptionem ab aliis acceptionũ generibus separare perfacile est; verùm eam Confusam acceptionem, quæ coniunctione disiunctiua exponitur, à Determinata distinguere, paulò est operosius. Facilè tamẽ id fiet, si verba, quibus vtriusque acceptionis, Determinatæ & Confusæ, definitionẽ suprà declarauimus, diligenter expendantur. in eo enim (vt breuiter quod summopere hìc est cognitu necessariũ repetamus) positum est harũ acceptionum discrimen, quòd ea Confusa acceptio, de qua modò diximus, per vnicam simplicem enuntiationem, cuius vnius extremi partes cõiunctione disiunctiua connectuntur, exponi debeat: Determinata verò multis enuntiationibus simplicibus coniunctione disiunctiua inter se cõnexis sit exponenda. Exempli gratia: in ista enuntiatione, Omnis gobio est piscis, vox (piscis) confusè accepta sic exponi debet, Omnis gobio est vel hic, vel ille, vel alius quispiam singularis piscis. In ista verò, Gobio est piscis, eadem vox

(piſcis)determinatam habens acceptionẽ,ad hunc modum eſt exponenda; Gobio eſt hic piſcis, vel gobio eſt ille piſcis,vel gobio eſt alius quiſpiam ſingularis piſcis.

Atqui vt minori negotio, certiorique iudicio Dialecticæ ſtudioſi etiam rudiores iſtã, de qua agimus, confuſam acceptionem agnoſcere, agnitamque ab aliis ſecernere queant, tradunt hoc loco Dialectici quædam documenta, alij plura, alij pauciora; è quibus tria ſequentia viſa ſunt nobis præcipua & ſcitu digniſſima.

Primum eſt iſtud.

Omne attributum ſeu prædicatũ ſimplicis enuntiationis vniuersè affirmantis,ſpeciatim ſumptum confuſam habet acceptionẽ: vt in iſtis enuntiationibus,Omnis elephas eſt animal,Omnis taciturnitas eſt virtus;attributa(animal) & (virtus) cõfuſam habẽt acceptionẽ.

Secundum.

Voces excluſionem denotantes, ſubiecto enuntiationis ſimplicis ſpeciatim ſumpto, confuſam tribuere acceptionem ſolent; vt in iſta oratione, Solus homo ad liberales artes diſcendas eſt idoneus; ſubiectũ (homo) confusè accipitur, idque tum ex ſententia, quam omnes qui Latinè ſciũnt, eiuſmodi oratione audita percipiunt,tum etiam hinc eſt perſpicuum,quòd modò cõmemorata oratio intra ſuæ ſignificationis ambitũ iſtam complectatur:Omne quod ad diſcendas artes liberales idoneam habet naturam, eſt homo, in qua (homo) ſecundum prioris documenti præſcriptionem,confuſam obtinet acceptionem.

Tertium.

Voces communes ſpeciatim ſumptæ,in quas fertur vis iſtorum verborum,Requiritur, neceſſarium eſt, debeo,polliceor, deſidero, & aliorum ſimili præditorum ſignificatione, confusè accipiuntur: vt in iſtis enuntiationibus,

tionibus, Ad nauigandum requiritur nauis, Ad viuendum præsentis seculi vitam necessarius est cibus, Debeo coronatum, Polliceor tibi equum: istæ voces (nauis, cibus, coronatum, & equum) confusam habent acceptionem; non enim ex singulari aliquo ipsis subiecto indiuiduo, sed ex omnibus disiunctim enumerãdis allatarum iam enuntiationum veritas est metiẽda. Quod quidem enumerationis genus paulo infrà in tractatu Logici descensus latè declaratur. In vniuersum verò, tam de iis quæ iam à nobis dicta sunt, quàm de iis quæ deinceps dicentur, studiosum lectorẽ monemus, quòd quandocunque vocis cuiuspiã acceptio inquiritur, nulla certior sit regula, nulla firmior, quàm ipsa loquendi consuetudo excellentium & eruditorum virorum consensu & vsu cõprobata, quæ semper erit in primis consideranda & sequenda, cedentibus illi nostris & cæterorum quorumcunque Dialecticorum regulis. quam enim vocis acceptionem rectè loquendi consuetudo postulat, eam genuinam ipsius vocis acceptionem esse existimare debemus. Itaq; ablatiuus (veste) in hoc pronuntiato, Nudus est qui caret veste, vniuersè sumitur; quippe quo significatur, eum esse nudum, non qui aliquam vestem non habet (quo sensu omnis homo nudus esset dicẽdus) sed qui nullam habet. Similiter istarum enuntiationum, Labor improbus omnia vincit, Vinum per iocum, quo quisque sit ingenio atque moribus, ostendit; Taurus est ferocior equo, Vulpes astu vincit leonem, & similium subiecta, non determinatè secundum communem Dialecticorum in hoc loco doctrinam, sed confusè potius secundum receptam doctorum hominum loquendi & intelligendi consuetudinem, sunt accipienda. Vnde perspicuum est, Dialecticorum præceptiones, licet plurimum lucis ad rectè &

citra errorem de vocum acceptionibus iudicandum afferant, non ita religiosè tamen esse obseruandas, quin simul quid docta & recepta loquendi consuetudo postulet atque præscribat, aduertatur. Imò si ab alterutra sit deflectendum, ab arte potius, quàm à docta & recepta loquendi consuetudine, vtpote artis fundamento ac basi, deflectendum censemus.

Porrò istarum, de quibus modo diximus, personalis acceptionis diuersitatum notitia, Dia[illegible] maximè est necessaria, tum ad enuntiationum oppositionē perfectiùs intelligendam, tum etiam ad orationis cuiuslibet veritatem sagaciùs indagandam, & argumentationum firmitatem, infirmitatemq; clarius & facilius perspiciendam. Harum enim variatio magnam inducit in oratione sensus mutationem: vnde commune & peruulgatum sophisticæ argumentationis vitium est, argumentari à voce quæ in antecedente speciatim sumebatur, ad eandem in conclusione vniuersè sumptam. Cuius vitij hæc est ratio, quòd cùm ipsa conclusio in antecedente debeat contineri, in eiusmodi argumentatione contrarium eueniat: Vniuersalis enim acceptio particularem comprehendit; non autem è diuerso.

De Confusa ac Determinata vocis acceptione similiter est iudicandum plus enim exigit Determinata, si conferatur ad idem vocabulum vniuersè sumptum, quàm confusa.

Nam ad veritatem orationis, in qua verbū aliquod determinatè accipitur respectu vniuersalis acceptionis, necessariū est, vt vnum singulare vocis sumptæ determinatè, respondeat omnibus singularibus eius vocis quæ vniuersalem habet acceptionem. Exempli caussa: Vera esse non potest ista affirmatio, Animal est omnis homo, ordinem verborum vrgendo, nisi vnum idemq;

animal

animal hominibus singulis respondeat: quod cùm fieri non possit, consequitur eam esse falsam. Cæterùm ad veritatem orationis, in qua verbum aliquod confusè accipitur respectu vniuersalis acceptionis, sufficit singulis inferioribus aut denominatis vocis, quæ vniuersè posita est, respondere aliquod singulare illius verbi, quod confusè accipiebatur: vt, Omnis homo est animal, quia singulis inferioribus hominis respondet, vt notissimum est, vnum aliquod animalis indiuiduum, ideo eiusmodi orationem veram iudicamus.

Hinc quoque fit, vt à Confusa acceptione ad Determinatam procedere non liceat; comparatione eiusdem vniuersalis acceptionis, tametsi cõtrà sequatur. Quamobrem hæc conuersio vitiosa est, Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est omnis homo. attamen si hîc à consequente procedas ad antecedens, legitima erit consecutio. Sed de his satis; sunt enim in scholis peruagata, & facilè ex iis quæ modò de Vniuersali, Confusa & Determinata acceptione dicta sunt, intelliguntur.

SIGNORVM NATVRA.

IAm Signorum, ex quibus modò explicata acceptionis Personalis diuisio manat, vim & energiam, quatenus Dialectico ad examinandas enunciationes, eam cognouisse necessarium est, excutiemus, & rei facilitate tractationis rationem moderantes, vniuersam huius loci doctrinam exiguo schemate exemplis aliquot illustrato comprehendemus.

- **Signa**
  - **Vniuerſalia**
    - **Affirmantia.** Hæc nullam vim in copulã exerũt, ſed tantũ in ſubſtantiuis ſua: vt, Omnis elephas eſt animal.
      - **Nomina.** hæc tãtummodo ſuis ſubſtantiuis vniuerſalem tribuũt acceptionem. Horat. Procul omnis eſto clamor. Interdum tamen vni ſubſtãtiuo additum ſignũ in aliis quoque eiuſdem caſus intelligitur. Cic. Omnes omnium generum, ætatũ, ordinum, viri ac mulieres.
        - Omnis, Quiſque, Vnuſquiſque, Singuli, Vniuerſus, Cunctus, Quiſquis, Quicunque, Quotquot, Quotcunque, Vterque.
      - **Aduerbia.** hæc ſubſtã tiuũ includunt vniuerſè ſumptum: vt Semper, idem eſt quod, omni tẽpore: vbique, idẽ quod, omni loco: vndiq;, idẽ quod, ex omni loco, & item cætera.
        - Omnino, Prorſus, Vſquequaq;, Semper, Vbique, Vndique, Quotiescunque, Vbicunque, Vndecunque, Quacunque, Quocunque, Quoquouerſus, Vbiubi.
    - **Negantia.** Hæc ſiue ſint aduerbia ſiue nomina, nõ ſolùm ſuis ſubſtantiuis, ſed omnibus omnino vocibus cõmunibus in eadem categorica enuntiatione ſequentibus, niſi impediãtur, vniuerſalem tribuunt acceptionẽ, ipſamque copulam immutant: vt, Nullus elephas eſt albus.
      - **Nomina**
        - Nullus, Neuter, Nil, Nihil, Nihilum, Nemo.
      - **Aduerbia**
        - Nunquam, Nuſquam, &c.
  - **Particularia.** Hæc ſiue addantur ſiue non, idem efficitur. Nam quamuis probati auctores nunc vniuerſè, nunc ſpeciatim intelligant indefinitas enuntiationes: tamen ſecundum rigorem (vt vocant) Dialecticum, particularem tantummodo ſenſum continent.
    - **Nomina**
      - Aliquis, Quis, Quiſpiam, Quiſquã, Vllus, Nonnullus, Vtérlibet, Vteruis, Alteruter.
    - **Aduerbia**
      - Vnquam, Vſquam, Vſpiam, Aliquando, Alicubi, Alicunde, Quandoque, Aliquoties, Interdum, Nonnunquam.

SIGNO-

SIGNORVM VSVS.

TAmetsi iam cōmemorata signorum genera, si genuinam eorū vim & naturā spectemus, nihil propriè significēt; nō tamē ob id in oratione superuacanea esse putanda sunt: hanc enim præstāt vtilitatem, vt vocibus communibus adiecta nos commonefaciāt, quomodo res per eas voces significatas debeamus comprehendere. Variis enim modis res illæ plures, pro quibus vox cōmunis accipitur, considerari possunt: vt vox (elephas) communis est ac multa cōplectens (omnes enim elephantes complectitur.) verùm aliud est, si multa illa (dum veritas exquiritur) copulatiuè enumeres, ita vt ex omnibus singularibus, orationis æstimetur veritas.

Aliud longè, si ex iisdem quidem, sed enumeratis disiunctiuè, veritas expēdatur. tunc enim ad tuendam orationis veritatem, vel vnicum singulare suffecerit. Aliud deniq; est, si pluribus disiunctim aut copulatim, seu per collectionem enumeratis, ad nullum particulare sit descendendum, sed in generali tantùm enumeratione sistendum. Cùm igitur voces communes ex sua significatione ad tam varios intelligendi modos ex se pateant, signa adiecta illas ad certā acceptionis speciem astringunt, & certum definitumque intelligendi modum audientis vel legentis animo præscribunt.

De signorum impedimentis, & iis vocibus quæ vniuersalium signorum vim habent.

QVÆ in superiori schemate de vi & energia signorum diximus, sunt de signis non impeditis intelligenda.

Impediuntur autem signa trifariam:
- A se mutuò,
- A negatione,
- A partibus subiecti, vel prædicati.

A se mutuò impediuntur signa, quādo alterum alterius

rius vim propriam tollit: vt cùm affirmanti aut negantí ſigno negatio, aut negãs ſignum præponitur; tunc enim poſteriori ſua vis adimitur, vt in iſta oratione, Nemo eſt vndequaque beatus, ſequens ſignum, videlicet vndequaque, per antecedens impeditur.

A negatione impari numero antegrediente aut ſequente impediútur omnia ſigna vniuerſalia, tam affirmantia quàm negantia: vt in hac oratione, Non omnia poſſumus omnes, duo ſigna vniuerſalia à negatione antegrediente impediuntur.

Signum negans à partibus ſubiecti aut prædicati impediri cenſetur, dum intra eas concluditur: vt in hac oratione, Is homo qui in nulla re delinquit, perfectus eſt. negans ſignum vires ſuas extendit in id tantùm quod intra ſubiecti fines poſt ipſum continetur.

In vocem extra ſubiectum poſitam, vim ſuam non exerere, vel hinc eſt manifeſtum, quòd tota oratio non ad negantium, ſed ad affirmantium enunciationum genus pertineat, quemadmodum & iſta, Obrepit non intellecta ſenectus.

Aduertãt ſtudioſi vſum negationis, quãuis frequenter, non ſemper tamẽ iis quę modò dicta ſunt, conſentaneũm eſſe. Conſtãs enim nõ eſt, ſed valde varius cùm apud Græcos, tum apud Latinos negationis vſus: vt cũ apud Ariſtotelem legimus in categoriis τῶν ἀφωρισμένων ποσῶν οὐδέν ἐστιν ἐναντίον οὐδενί. quod ſic quædam antiqua verſio reddidit, Determinatorũ nullum nulli eſt contrarium. Quo loco non voluit interpres ille hanc denotare ſentẽtiam (determinatorum quodlibet alicui eſt contrariũ) ea ſiquidem & abſurdiſſima eſt, & cum Ariſtotelica doctrina ex diametro pugnat; ſed illam quam eruditiores interpretes expreſſerunt his verbis: COL. *Illud profectò verum eſt, definitis quantitatibus nihil aduerſari.*

ARG.

ARG. *Nihil eorum quæ definita sunt quantitatis, cuiquã prorsus aduersari videtur.* Quapropter sciendum est, Latinos scriptores nõnunquam Græcorum morem hac in parte imitari, apud quos frequens & familiare est, vt duæ negationes vehementiùs negent. secundum quem morem accipienda sunt antiqui illius interpretis Aristotelici iam citata verba; hoc videlicet sensu, Omninò nulla quantitas habet aliquid contrarium.

Interdum vnica negatio idem efficit quod duæ: vt si dicas, Non audit vel parentem; perinde est ac si diceres, Neminem audit, ne parentem quidem.

Interdum tribus negationibus nihilo plus efficitur quàm duabus aut vnica: idem enim valent istę tres orationes, Non veretur neque homines neque Deum: Neque Deum neque homines veretur: Nõ veretur aut homines aut Deũ. Conduplicare negationem maioris vehementiæ caussa, non Græcorum tantùm, sed etiam Latinorum more receptum est, si modò ipsa negatio non iteretur sola. Exempli caussa, magnam vehementiã habet istud negandi genus, Non faciam, non inquam. quę omnia Grammatici eruditiores latiùs persequi solent.

Istud quoque hoc loco aduertendũ, non modò signa vniuersalia & negationes vim habere acceptionem vniuersalem efficiendi; verùm etiam alia præterea vocabula: vt quæ exuperantiã denotant aut diuersitatẽ: hæc enim vniuersalem tribuunt acceptionem iis vocibus in quas exuperatio aut diuersitas ferri significatur: vt perspicuè ex istis exemplis intelligitur, Taurus ferocior est equo, vulpes astu vincit leonem, Frutex differt ab herba. Primi siquidem exempli hæc est sententia: Taurus est ferox, & similiter equus est ferox; sed nullus equus ferociam tantam habet quanta est in tauro. Secundum exemplum hanc habet sententiam: Vulpes astuta est, & simi-

similiter leo est astutus, sed nullus leo tantā habet astitiam quanta est astutia vulpis. In tertio autem exemplo vniuersalem acceptioné nominis (herba) clarè demonstrat ista expositio, Frutex differt ab herba, id est, aliquid est in frutice, quod in nulla herba reperitur. Fit tamen interdum, vt nomen iam dicto modo cōstructum vniuersalem non habeat acceptionem, sed determinatam; quo sensu passim concedimus hominem homine esse præstantiorem, & taurum tauro truculentiorem.

Efficiunt quoque vniuersalem acceptioné istæ præpositiones, sine & absque, in iis vocibus cū quibus construuntur: vt, Sine Cerere & Baccho friget Venus: Absque amicitia iniucunda est hominis vita.

Genitiuum partitionis alij collectiuè, alij vniuersè censent accipiendum. Nos aliorum hac de re disputationibus prætermissis, eum genitiuum qui cum signis vniuersalibus per regimen partitionis construitur, vniuersalem dicimus habere acceptionem. Idem enim istę enunciationes valent, Singuli hominū suis studét commodis, & Singuli homines suis student commodis.

De descensv logico.

De Descensu logico hîc agi consuetū est: quòd per eum clariùs vocū cōmunium acceptiones hactenus traditæ innotescant, faciliusque perspiciantur. Solent autem hoc modo Descensum logicum definire.

Descensus Logicus, est argumentatio, qua proceditur à voce quapiam in enuntiatione posita, ad enumerationem rerum singularum, pro quibus ea vox capiebatur.

Vt in hac enuntiatione, Omne animal quamdiu viuit, nutritur. ita sub subiecto descédere oportet: Ergo musca quamdiu viuit, nutritur: rana quoque, & quidquid aliorum est animaliū, quamdiu viuit, nutritur. Item, si nullum corpus est immobile, neq; cælū est immobile, neque

neque terra immobilis est,& sic de cæteris corporibus: iuxta quadruplicem, quæ in singularum rerum enumeratione inuenitur, diuersitatem.

Quadruplex à Dialecticis statuitur Descensus.

Copulatiuus,	Disiunctiuus,
Copulatus,	Disiunctus.

Copulatiuus Descensus est,quo ad res singulas copulatiuè seu per coniunctionem copulatiuam enuntiationes simplices copulantem,enumeratas, descenditur, fitque sub omni voce vniuersè sumpta: vt, Nulla scientia est à natura insita, igitur Dialectica non est à natura insita: &, Rhetorica non est à natura insita; neque vlla cæterarum scientiarum.

Vsus huius descensus est necessarius, quotiescunque nomen commune vniuersalem habet acceptionem: tunc enim enumerare oportet per hunc Descensum inferiora aut denominata illius vocis communis, per coniunctionem copulatiuam copulatiuè sumptam, vt exemplo iam est monstratum.

Copulatus Descensus est,quo ad res singulas copulatim seu per coniunctionem copulatiuam vnius extremi enuntiationis simplicis partes copulantem, enumeratas,descenditur,ad hunc qui sequitur modum, Omnes Apostoli Christi sunt duodecim; igitur Petrus & Ioannes,& Andreas, & reliqui Apostoli Christi simul collecti,sunt duodecim.

Vsus copulati Descensus opportunus est, quādo vox aliqua accipitur copulatim: tūc enim enumerare oportet inferiora aut denominata illius vocis per cōiunctionem copulatiuā copulatim sumptam.idq. semper contingit,cùm vox communis afficitur signo collectionem denotāte: aut subiectū est eius enūtiationis,cuius attri-

but im est numerus (vt Grammatici vocant) cardinalis.

Disiunctiuus Descensus est, quo ad res singulas disiunctiuè seu per coniunctionem disiunctiuam enunciationes simplices connectentem, enumeratas, descenditur: vt sub huius pronuntiati subiecto, Aliquis homo est Imperator, sic descenditur, Ergo hic homo est Imperator, vel ille homo est Imperator, & ita de reliquis hominibus. Item Virtutis alicuius est, suum cuique tribuere: ergo vel prudentiæ est suum cuique tribuere, vel iustitiæ est suum cuique tribuere, & sic de cæteris virtutibus omnibus.

Vsui est hic Descẽsus, quando acceptio vocis est determinata; tũc enim quæ sub illa voce cotinentur, enumerare oportet per coniunctionẽ disiunctiuam, acceptam disiũctiuè: vt ex superioribus exẽplis satis liquet.

Disiunctus Descẽ sus est, quo ad res singulas disiunctim seu per coniunctionẽ disiunctiuam, vnius extremi enuntiationis simplicis partes connectentem, descẽditur: vt sub huius enũtiationis attributo, Omnis homo est animal, sic descenditur; ergo omnis homo est hoc animal, vel illud, vel istud animal, & sic de cæteris animalibus Vsus Descẽsus disiuncti pertinet ad declarandam acceptionẽ vocis quæ confusè & disiunctim capitur. Nam enuntiatio in qua vox huiusmodi est, cẽsetur idem valere quod categorica ex disiũcto extremo constãs. Quod quidem disiunctum extremum cõflatur ex eis quæ per vocem confusè sumptam, speciatim significantur, coniunctione disiunctiua inter se cõnexis; vt videre licet in exẽplo quod modò est à nobis adductum.

Duplici verò nota Descẽsus disiunctiuus & disiunctus secernuntur. Prior est, quòd hîc per vnicam categoricam, cuius alterum extremum est disiunctum, fiat enumeratio; ibi autem per hypotheticam disiunctiuam

ex multis categoricis constantem. Altera est, quòd in disiunctiuo Descensu veritas æstimetur ex vnica & definita parte eorum quæ disiunctiuè enumerantur: In disiuncto autem Descensu non ex vna tantum disiuncti parte veritas Descensus est spectanda, sed ex omnibus simul partibus disiunctim enumeratis.

Vnde oritur hîc quæstio, vtrum acceptio qua vox confusè & disiunctim sumitur, debeat referri ad simplicem acceptionem, an potius ad personalem: vt cùm dicimus, Sola virtus nobilitat hominem, Omnes frangimur mollitie, vtrùm (virtus) & (mollitie) in istis pronunciatis acceptionem habeant simplicem, an personalem. Quam quidem quæstionem studiosis, quibus plus otij quàm nobis suppetit, excutiendã & dissoluendam relinquimus; hoc tantùm monentes, Sub voce technicas aut simpliciter accepta nullum legitimum fieri Descẽsum; & proinde ei qui voces confusè & disiunctim acceptas, simpliciter accipi contendit, nullum sub eiusmodi vocibus agnoscendum esse Descensum.

De regulis obseruandis in Descensu logico.

QVò prædicta rectiùs intelligantur, minorique negotio fieri queat Descensus, quæ sequuntur, diligenter sunt memoriæ mandanda.

Primum est, vt ad vocis acceptionem Descẽsum accommodemus, copulato videlicet Descẽsu aut disiuncto vtentes, si vocabulũ confusè accipiatur; disiũctiuo, si determinatè; copulatiuo autẽ, si vniuersalis fuerit vocis acceptio. Quòd si hæc confundas; & consecutionis & declarationis ratio perturbabitur. Nec satis est, cùm verbum aliquod vniuersè accipitur, copulatiuum in eo explicando adhibere Descẽsum, sed cùm multiplex sit vniuersalis acceptio verbi, oportet cuiq. vniuersali acceptioni suũ tribuere Descensum. quod vt faciliùs fieri

queat, quotuplex ſit vniuerſalis acceptio, & quis cuiq. conueniat deſcenſus, nunc breuiter dicemus.

Vniuerſalis verbi acceptio eſt quadruplex:
- Pro omnibus ſingularibus,
- Pro omnibus generibus,
- Pro duobus tantùm,
- Accommodata, quam Ludouicus Viues Vniuerſalitatem conuenientiæ appellat.

Pro omnibus ſingularibus vniuerſalis acceptio eſt, quando nomen vniuersè pro omnibus ſuis inferioribus aut denominatis accipitur: vt in hoc exemplo, Omne vitium eſt deteſtandum, in quo ita faciendus eſt Deſcenſus: Igitur hoc vitium eſt deteſtandum, & illud vitium eſt deteſtandum, & ſic de cæteris omnibus vitiis.

Vniuerſalis acceptio pro omnibus generibus eſt, cùm vniuersè ſumitur vox quæpiam pro generibus ſeu formis omnibus ſibi ſubiectis, non autem pro ſingulis ſuis indiuiduis: vnde fit vt vniuerſalis huiuſmodi enunciatio non tam latè pateat, quàm alioqui pateret: vt hæc enunciatio, Omne animal fuit in arca Noë, vera quidem eſt, ſed ad ſpecies terreſtris animalis, quod per generationem propagatur, referenda. In qua ſub verbo (animal) ita eſt deſcendendum, igitur & homo fuit in arca Noë, & equus fuit in arca Noë, & leo fuit in arca Noë; & ſic de cæteris omnibus formis quæ ſub animali terreſtri per generationem propagato continentur. Similiter etiam in iſta oratione, Homo habet omnẽ ſenſum, ſub accuſatiuo (ſenſum) nõ ad ſingula indiuidua, ſed ad ſingulas ſpecies deſcẽdere oportet, ad hunc modum, igitur habet viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum. Quare ex voce talem habente vniuerſalem accceptionem licebit omnes quidem generis ſpecies inferre, non autem ſingula eius indiuidua.

Vniuerſalis acceptio pro duobus tantùm, eſt cùm pro duobus duntaxat ex ſuis inferioribus vel denominatis,

natis,iisq.copulatiuè recéſendis vox aliqua communis accipi denotatur: quomodo accipi denotatur (animal) in iſta oratione, Vtrunq. animal eſt bipes; vbi circumſpecta opus eſt explicatione: cùm enim duo animalia copulatiuè enumeranda demonſtrētur, attentè videndum eſt, ad quæ animalia vniuerſalis ſigni demōſtratio referatur: hęc ſiquidē & non alia in ipſo Deſcenſu enumerari debent. Si igitur hîc legitimū ſub voce (animal) Deſcenſum facere velimus, quærendum erit in primis, quæ duo animalia demōſtret vniuerſale ſignū (vtrumque.) Nunc docēdi cauſa, fingamus demōſtrari hominem & auem: quo poſito ita inſtituendus erit Deſcenſus, igitur & homo eſt bipes, & auis eſt bipes. Cæterùm ſi incertum ſit quæ duo animalia deſignentur, inferendum erit, Ergo hoc animal eſt bipes, & illud; vel iſtud animal eſt bipes, & illud: ac item de reliquis, ſingula animalium paria ſingulis duobus diſiūctiuè copulãdo.

Sed hac de re plura in enarratione libri περὶ ἑρμηνείας apud Ariſtotelem dici ſolent: vbi conſueuit diſputari, an hæ ſint contrariæ, Vterque homo currit, neuter homo currit. & primo libro Priorum, vbi ſolet oſtendi, quomodo ſupradictæ enunciationes ſint conuertendæ, & quare hic ſyllogiſmus ſit vitioſus, Vtrumque animal eſt quadrupes; atqui vterque homo eſt animal; ergo vterque homo eſt quadrupes.

Vniuerſalis acceptio accommodata eſt, quando ex ſcribentis aut loquentis ſententia, vel etiam ex vſitata loquendi conſuetudine, vox vniuersè poſita nō ad omnia quæ ex ſe comprehenderet, eſt referenda, ſed vniuerſalis eius acceptio quibuſdam ſecluſis eſt intelligenda: vt in hac ſententia, Cælum tegit omnia, commodè accipiendum eſt illud (omnia) videlicet pro iis corporibus tantùm, quæ ſub cælo ſunt; nē ſeipſum quoque

tegere, importunus sophista quispiā cauilletur. Sic dicimus, Pecuniæ obediūt omnia: nimirum, quæ arbitrio subiecta sunt humano. Itē, Aristoteles doctissimè omnia scripsit: nimirū, quæ scripsit, & quæ naturali hominis ingenio comprehēdi poterāt. Huius (quam accommodatā diximus vniuersalē acceptionē) vsum nobis illustri commōstrauit exemplo Apostolus Paulus, sententiam illā Psalmi octaui, Omnia subiecisti sub pedibus eius, explicans. Nam in Prophetæ verbis videtur esse vniuersalis acceptio absoluta: quemadmodū etiā ex secundo capite ad Hebræos posset videri; vbi Paulus dicit, In eo quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Verùm ne quis falleretur, non grauatus est Apostolus hunc nodum nobis accuratè dissoluere in priore ad Corinth. 15. Omnia, inquit, subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicit, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Non oportet igitur quæ de multiplici vniuersali acceptione disseruimus, contemnere vt parua, cùm ea videamus etiā ad summa fidei Christianæ mysteria explicanda vsui esse.

Istud quoq. hoc loco monere operæpretiū est, quādo occurrit vocis alicuius vniuersalis acceptio, diligenter expendendū esse, ad substātiámne an ad quantitatē aut qualitatem referenda sit eiusmodi vniuersalis acceptio.

Nam si ista inter se commisceas atque confundas, ridiculum & à proposita sententia alienum effeceris Descensum. Si enim sub voce quantitatē denotāte recensere substātias velis, aut qualitates, non quod antè propositum erat declaraueris, sed nouā & alienam sententiam induxeris. Exempli gratia, Quotquot digitos heri habuisti, hodie habes: digitos sordidos heri habuisti, ergo sordidos hodie habes. hæc argumentatio ideò est vitiosa, quòd cùm vniuersalis acceptio in propositione

ad

ad quantitatem referatur, postea in assumptione, perinde ac si ad qualitatē relata fuisset, progrediatur ratiocinatio. Hinc quoq. perspicitur istius argumētarionis vitium, Quidquid in macello emisti, comedisti: ergo carnes crudas comedisti. Cùm enim antecesserit substātiæ vniuersalis acceptio, ad qualitatem fit Descensus.

SECVNDO loco aduertendum est, nullum fieri Descensum sub voce singulari, neque sub ea quæ simpliciter aut technicōs (vt superius dictum est) accipitur, sed duntaxat sub voce communi, quæ personalem habet acceptionem, quòd ea sola plura complectatur, quæ enumerando colligi possunt.

TERTIVM est, vt quādo Descēsus fit sub subiecto, prædicatum de vniuersali acceptione in specialem non commutetur: alioquin contingeret nonnunquàm verum esse Descensum, ea enuntiatione, ad quam declarandam factus esset, existēte falsa. Quod absurdum est, cùm idem valere & significare debeāt enūtiatio ipsa & eius declaratio. Exempli caussa, Si descendas simul sub vtraque extremitate istius enuntiati, Omnis homo est omnis homo, quod perspicuā cōtinet falsitaté, Descensus erit verus: sic enim fiet, Igitur hic homo est hic homo, & ille homo est ille homo: & sic per singulos homines discurrendo. Quocirca nō fuit eo modo descendendum, sed attributi seruata vniuersali acceptione, priùs sub subiecto ad istum modum instituendus fuit Descensus: Igitur hic homo est omnis homo, & ille homo est omnis homo, &c. in quo Descensu eadem cernitur quæ in priori enūntiato apparebat falsitas.

QVARTVM, Quando descenditur sub attributo vniuersè sumpto in aiente enuntiatione, tûc subiectum determinatè acceptum iterandum est cum hac vocula (idē:) vt, Homo est omne animal, igitur homo est hoc animal,

animal,& idem homo eſt illud animal, ac ſimiliter de cæteris omnibus animalibus ſigillatim demonſtratis.

QVINTVM, Propter partium argumentationis inter ſe cõnexionem, ſæpenumero vocis quæ in argumentatione poſita eſt, impeditur Deſcẽſus,& potiſſimùm ſi illa vox ponatur in antecedẽte hypotheticæ cõdicionalis. Non enim ſequitur, Si nullum alimẽtum ſuppedites animali, mori ipſum neceſſe eſt; igitur ſi hoc alimẽtum non ſuppedites, mori eſt neceſſe,& ſi illud quoque non ſuppedites. Videtur tamen rectè ſequi, ſi deſcendas ſub vocabulo poſito in cõſequente: vt, Si nullũ ſit alimentum, omne animal mori neceſſe eſt: igitur hominẽ neceſſe eſt mori, ſimiliter & beſtiam, ſi nullũ ſit alimentũ.

SEXTVM. Cùm ſit deſcenſus ſub enuntiationis exceptiuæ ſubiecto, verti debet præpoſitio (præter) in (aliud ab) ne illationis ſermo à latinitate recedat: vt, Omne animal præter hominem eſt expers rationis, igitur hoc animal aliud ab homine, expers eſt rationis,& non, igitur hoc animal præter hominem: cùm exceptio locum non habeat, niſi antegreſſa vniuerſali comprehenſione, Hactenus de Deſcenſu.

DE ASCENSV LOGICO.

CVM Deſcenſu plurima quoque de Aſcenſu ſimul commiſcere ac infarcire ſolent; quod non putauimus faciendum. Ne tamen locum ab aliis fusè & accuratè tractatum, nos ſilentio damnaſſe videamur, obiter eum attingemus.

Aſcenſum vocant à ſingularibus ad vniuerſale progreſſionem; vt ſi quis ad hunc modum ratiocinetur.

Viſus patitur aliquid à colore, Auditus à ſono patitur aliquid, & item reliqui ſenſus exteriores, ergo omnis ſenſus exterior aliquid patitur à ſuo obiecto.

Item, Hic homo eſt improbus, vel ille homo eſt improbus,

probus, & sic de cæteris hominibus: ergo aliquis homo est improbus.

Ascensus, quemadmodum de Descensu superiùs diximus, est quadruplex.

Copulatiuus,	Disiunctiuus,
Copulatus,	Disiunctus.

Singulorum exempla, ne prolixiores æquo videamur, relinquimus: siquidem res ita facilis est, vt declaratione non egeat. Nam si in exemplis Descensui accommodatis, partium inuertas ordinem, vt videlicet ex antecedente consequens fiat, & contrà hoc ex illo, habebuntur tot exempla Ascensus, quot priùs de Descensu sunt commemorata. Præterea & nos statim in vsu Ascensus & Descensus declarando, nonnulla Ascensus exempla proferemus.

Vsus Ascensus & Descensus.

DEscensus magis ad confutandum, Ascensus verò ad probandum est accommodatus. Vniuersalis enim enuntiationis affirmantis, si falsa sit, cõmodissimè falsitas arguitur, descendẽdo ad id subiecti inferius aut denominatum, quod ab attributo discrepare & alienum esse constat. Similiter vniuersalis negantis falsitas aptissimè conuincitur, si ad aliquod subiecti inferius aut denominatum, quod cum prædicato verè cohærere compertum sit, descendatur. Contrà verò, vniuersalis enuntiationis aut etiam particularis veritatem stabilire cupientes, id subiecti inferiorum aut denominatorum enumeratione potissimùm efficere conamur.

Ascensus est, & quidem copulatiuus, si sic probes cuiusque hominis animum esse immortalem: Ioãnis animus est immortalis, & Petri, atque item de cæteris hominibus: ergo cuiusq. hominis animus est immortalis. Descensus verò, si hanc improbes, Cuiusuis animalis

anima est immortalis, inferendo, ergo bestiæ anima est immortalis, & hominis. In quo quia consequẽs falsum est, falsum etiam erit antecedens. Posset etiam, licet subobscurè, prima enuntiatio Descensu disiunćto, sub voce (anima) quæ confusè accipitur, facto, probari ad hunc modum: Cuiusque hominis hic vel ille vel iste animus, & sic de cæteris, est immortalis: ergo cuiusque hominis animus est immortalis. Hanc autem si velis probare veram esse, Aliqua anima est immortalis, facies per Ascensum disiunctiuum, hoc modo: Hæc anima est immortalis, vel illa, &c. ergo aliqua anima est immortalis. in quo, quia antecedens verum est, hominis anima demonstrata, verum etiam erit consequens: sumitur enim hîc (anima) determinatè.

Ex his quæ modò dicta sunt, patet Ascensum inde nomen accepisse, quòd ab inferiori ducat ad superius: Descensum verò, quòd contrà à superiori ad inferius demittat. Quæ quidem argumentandi formulæ in Topicis, & aliis appellantur nominibus, & multò fusiùs explicantur: nos in præsentia hoc tantummodo spectauimus, vt quomodo personalis acceptio esset declaranda, & quomodo per eam veritas falsitásue orationis esset eruenda patefaciendaque, ostenderemus.

Atque de vocum acceptione seu vsurpatione Technica, Simplici & Personali: item de Descensu logico sub vocabulo communi, quę dicta sunt hactenus, arbitror sufficere: nec videor cur seorsum quidquam de Relatiuis, quæ Grammatici vocant, aliorum more adiicere debeam: nisi apud seueriores censores in eandem incidere reprehensionem velim, in quam plerosque incidisse conspicio, dum plus æquo in huiusmodi rebus propriè ad Grammaticam pertinentibus explicãdis immorantur: præsertim cùm quæcunque de eiusmodi vocibus

vocibus dici solent, facillimum sit, partim ex iis quæ superiùs dicta sunt, partim ex communi sensu intelligere, iis potissimùm, qui Grammaticæ præceptis mediocriter imbuti, relatiuorum distinctiones (secundum quas alia Substantiæ dicũtur esse, alia Accidentis; & ex illis quædam identitatis, nonnulla diuersitatis) iam cognitas habent. Quod quia factum oportuit in scholis Grammaticorum, nolumus Philosophiæ candidatos eiusmodi præceptionum intempestiua repetitione, ab iis quæ Dialecticæ propria sunt, auocare. Quapropter his omissis, ad eas, quæ deinceps sequuntur, Logicas vocum affectiones explicandas pergemus.

De ampliatione logica.

Seu de vocum ad diuersa tempora extensione, & eius vsu.

SEquitur nunc Ampliatio, cuius maxima est vtilitas, cùm ad rectè conficiendos Syllogismos, & ad vèrè iudicandum de Syllogismorum Conuersionumque forma, tum præcipuè ad veritatem falsitatémve pronunciatorum, quæ constant ex verbo alterius temporis quàm præsentis, indagandam; quorum pleraque constat verą esse; licet nunc nulla supersit earum rerum quę per extrema denotantur: vt de isto perspicuũ est, Adam comedit pomum vetitum.

Dicitur autem vox amplè accipi, quæ accipitur pro suis significatis ad diuersa tempora relatis.

Temporum differentiæ seu tempora diuersa,

sunt { Præsens seu instans,
Præteritum, &
Futurum, seu consequens tempus.

His temporum differentiis adduntur aliæ duę, nimirum possibile, hoc est, non repugnans, & intelligibile. Vnde fit, vt in vniuersum quinque sint extensionis gradus: ex quibus si duo simul aut plures in idẽ vocabulũ incidant;

incidant; huiusmodi voçabulum extẽdi dicitur ad duo aut plura diuersa tempora, secundum rationem verbi, quod in pronunciato copulæ vice fungitur, aut participij, quod à parte alterutrius extremi collocatur. Istud quomodo fiat, docet exemplum sequens, Probi homines æternis bonis fruentur: nam eius subiectum ad diuersa tempora extenditur: Non enim eos modò qui nunc probi sunt, verùm etiam eos omnes qui in posterum probi sunt futuri, eiusmodi complectitur oratio.

Hæc vocum ad diuersa tempora extensio quamuis ex sensu orationis potius, quàm ex præceptionum artificio sit petenda; trademus tamen, in gratiam iuniorum, quasdam regulas ex propria vi sermonis, & approbata in subtilibus doctorum hominum disputationibus loquendi consuetudine desumptas.

Prima hæc est:

Subiectum pronunciati, cuius verbum est præteriti temporis, extenditur ad præsentia & pręterita tempora. Cuius verò verbum futuri est temporis, ad præsentia & futura: quam dilatandi vim etiam participium præteriti aut futuri temporis, cùm vel attributum, vel attributi pars est, obtinet: vt cùm dico, Cicero fuit eloquẽs, Lilium nascetur inter spinas, Antichristus est moriturus, Scipio Carthaginem demolitus est, accipiuntur subiecta amplè, hoc sensu, qui est vel fuit Cicero, &c. Quod est vel erit lilium, nascetur, &c. Qui est vel erit Antichrîstus, est moriturus: Qui est vel fuit Scipio, Carthaginem demolitus est.

Ac ne quis criminetur hæc Sophistarum esse somnia, inueniet non absimilia grauissimè disputari apud A. Gellium lib. 17. cap. 7. vbi docet de quo furto intelligenda sit vetus hæc Atinia lex, Quod surreptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. Non sunt igitur eiusmodi re-

di regulæ (vt quidam, earum vtilitatem non intelligentes, putant) contemnendæ, sed obuiis (quod aiunt) vlnis amplexandæ, quatenus eruditorum virorum scriptis, disputationibus atque iudicio consentiunt. Si quid verò in iis offenderetur, quod vel ab vsitato sermone, vel à consueta doctorum hominum intelligendi consuetudine abhorreret, nos ipsi quoque id damnandum & repudiandum censeremus. Proinde in his confictis & in gymnasiis Dialecticorum peruagatis enunciationibus, Puer fuit senex, Meretrix erit virgo, eruditorum iudicium, & communem Latinè loquentium intelligentiam sequentes, dicimus amplè quidem accipi subiecta, expositionem verò ad sensum compositum falsam, quam istæ enunciationes secundum communem Latinè loquentium apprehensionem atque intelligentiam obtinent, accommodari debere, hoc modo: Puer fuit senex, id est, Is puer qui nunc est, vel is puer qui antè extitit, fuit senex; ita vt senectus pueritiæ antecesserit. Meretrix erit virgo, id est, meretrix quæ nunc est, vel pòst existet, erit virgo; ita vt virginalis puritas succedat meretriciæ fœditati. Itaque sicut veritati repugnant istæ expositiones, ita enunciationes quibus respondent, à veritate alienas esse censemus. Licet interim non inficiemur, quin in sensu diuiso (quem in istis & similibus enunciationibus repudiant Latinè loquentium aures) iam commemoratæ enunciationes veræ dici possunt, ad hunc videlicet modum eas exponendo: Puer fuit senex, id est, qui est vel aliquando fuit puer, iam senuit: Meretrix erit virgo, id est, quæ est meretrix, vel pòst futura est meretrix, permanebit adhuc aliquo tempore virgo.

Præterea in hoc exemplo ex euangelicis litteris deprompto, Meretrices præcedent vos in regno cælorum; quan-

quanquam subiectum secundum primam regulam ad præsentia & futura tantummodo dilatetur, sententia tamen illius loci scripturæ diligenter inspecta, præteritum non minus quàm aut præsens aut futurum respicere videtur: vt sit sensus, Nonnullæ quæ fuerunt, sunt, vel erunt meretrices, præcedent Scribas in regno cælorum. Quapropter in hoc loco & aliis similibus, aduersus manifestam scriptoris intentionem, & communem doctorum hominum intelligentiam, dialecticarum præceptionum auctoritatem nullam esse libenter concedimus: nec tamen hinc eas falsas esse consequitur: nam ad propriam vim & rigorem (vt vocant) sermonis, non ad popularem loquendi vsum, sunt accommodatæ.

Secunda regula.

Subiectum pronunciati, cuius verbo præteriti temporis additur participium futuri temporis, vel contrà, extendi volunt ad tria diuersa tempora. Itaque in lege Atinia modò citata ex A.Gellio, per id quod surreptum erit, intelligitur, furtum non solùm futurum, vt alicui posset videri, sed etiam quod ante legem latam fuit commissum, ex sententia P.Nigidij & Q. Scæuolæ: vt sensus legis sit, Res quæ surripitur, surripietur, vel antè surrepta fuit; veri domini semper manet.

Tertia regula.

Hæ quatuor voces, possibile, contingens, impossibile & necesse, aliæque simili præditæ significatione, tam attributum quàm subiectum extēdunt ad tempus præsens, præteritum, futurum & possibile: exempli caussa, huius pronunciati, Omne album potest esse nigrum, ambo extrema, propter vocem, potest, adiectam, latissimè, nimirum ad quadruplicem temporis differentiam extenduntur.

Quarta

Quarta regula.

Verbum significans mentis aut appetitus operationem, dilatat id circa quod ipsa operatio versari denotatur, ad omnes temporum diuersitates: vt in hoc exemplo, Alexander imaginabatur alterum orbem; accusatiuus (orbem) rem designat quæ neque est, neque esse potest, sed animo tantùm intelligitur. Siquidem humana cogitatio ea est libertate, vt etiam ea quæ fieri nequeunt, sibi repræsentare, & in suo conspectu statuere queat.

Quinta regula.

Casus qui regitur à verbo significante effectionem, latè capitur, pro iis quæ sunt vel erunt; qui regitur à verbo significante interitum, seu euersionem, pro iis quæ sunt vel fuerunt: qui autem construitur cum verbo, incipit, aut, desinit, extenditur ad tot tempora, quot reperiuntur in exponentibus: de quibus mox dicetur. Exempla sunt, Petrus fabricat nauim, Paulus demolitur domum, Motus incipit, Motus desinit: Quæ sic exponi debent: Petrus fabricat id quod nunc est, vel postea erit nauis: Paulus demolitur id quod nunc est, vel antè fuit domus. Aliquis motus statim post hoc temporis punctum erit, qui iam non est. Motus aliquis continenter ante hoc temporis punctum fuit, qui tamen iam non est.

Quomodo veritas & falsitas enuntiationum ex partibus amplè acceptis constantium sit inquirenda.

VEritatem & falsitatem huiusmodi enũtiationum, quarum extrema amplam habẽt acceptionẽ, metimur reductione ad categoricas enũtiationes constantes ex verbo præsentis tẽporis, in quibus nihil extenditur: quas passim vocãt in scholis Categoricas de inesse.

Exempli causa, Enuntiationem cõstantem ex verbo præteriti

præteriti temporis veram iudicamus, ſi Categorica illi reſpondens, quæ copulam habet præſentis temporis, aliquando fuerit vera: vt hanc omnes veram eſſe confitentur, Diluuium per omnem terrarum orbem inundauit: quia conſtat aliquod fuiſſe tempus, cùm verè diceretur, Iam diluuium per vniuerſum terrarum orbem inundat. Similiter enuntiationem conſtātem ex copula futuri temporis veram cenſemus, ſi reſpondens ei Categorica, quæ copulam habet præſentis temporis, aliquando ſit futura vera: vt iſtam enuntiationem certiſſima fide amplectimur, Iuſti ſicut ſol in regno patris ſui fulgebunt; quòd aliquando futurum ſit tempus, cùm verè dicetur; Nunc iuſti ſicut ſol in regno patris ſui fulgent. Idem docet Cicero, vbi in ſuo libello De fato ſic ait: Præterita ea dicimus, quorum ſuperiori tempore vera fuerunt inſtantia; ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia.

In iis verò diiudicandis, quas ob certum modū verbis adiectum Modificatas vocant Dialectici, non tam ad veritatem enuntiationum, quas nominant de ineſſe, quàm ad vim modi reſpiciendū eſt. Nam illa enuntiatio habēs modum, poſſibile, vera eſt, non cuius inſtans verum eſt, ſed qua talis rerum inter ſe cohærentia vel ſeparatio denotatur, quæ rerum naturæ & conſtitutioni naturali non repugnet: vt iſta vera eſt, Poteſt homo quantumuis diues ad extemam redigi egeſtatem: patitur enim & permittit rerum natura hanc in humanis rebus viciſſitudinem, vt & egeſtati opulētia, & è diuerſo, opulentiæ egeſtas, nonnunquam ſuccedat. Similiter illa enuntiatio conſtans ex modo (neceſſe non impedito) vera eſt, per quam talis connexio rerum inter ſe, vel ſeparatio deſignatur, qualem naturalis rerum conſtitutio, vt ſalua permaneat, omninò exigit: vt iſta eſt vera,

Necesse est ignem esse calidu. Et illa ex modo impossibili non impedito constans vera est, quæ talium rerum à se mutuò separationem denotat, quarum coniunctio naturali rerum constitutióni repugnaret: vt ista vera est, Impossibile est ignem esse frigidum. nam (quemadmodum ista oratio significat) ita à se mutuò separãtur ignis & frigus, vt eorum coniunctio non modò falsa, sed etiã naturali rerum institutioni repugnatura esset.

Postremò illa enuntiatio, cuius partes ad res imaginarias extenduntur, vera dicenda est, quæ talem rerum inter se designat cõiunctionem aut separationem, qualem mens humana sine vlla contradictione, aut repugnantia cogitando complecti possit: vt ista est vera, Imaginantur quidam Mathematici, solem quiescere, & terram velocissimo motu circa solem rapi: licet enim neque vera sit, neque fieri possit ea rerum copulatio, quæ hac enuntiatione designatur; nihilominus tamen ipsa enuntiatio vera est dicenda: quia si imaginemur talem rerum coniunctionem & dispositionem, qualem ipsa significat, nulla in eiusmodi imaginatione contradictio, aut repugnantia includetur.

De restrictione logica.

Restrictionem vocis extensioni contrariam esse, manifestum est, cùm hæc dilatet vocem, illa verò contrahat.

Est autem Restrictio, vocis per aliquam adiectionem contractio, vt pro paucioribus accipiatur, vel secundum pauciores temporum diuersitates, quàm sine ea additione acciperetur: vt in hac oratione, Nullus ad amissas ibit amicus opes; vox (opes) quæ sola posita latiùs pateret, restringitur: ita vt amissas & præteritas opes tantummodo denotet.

Fit verò modis plurimis Restrictio, non per nomen

ſolùm, verùm etiam per Pronomen, Participium, Aduerbium, Coniunctionem, & Præpoſitionem cum ſuo caſu: vt, Vir doctus, Illud meritum, Amor æſtuãs, Valde prudenter, Lapis quatenus quadratus, Crudelis in parentes. Tribus tamen potiſſimùm modis fit ea Reſtrictio quæ ex nomine conſtat:

Videlicet accedente { Adiectiuo: vt, Amicus cert⁹ in re incerta noſcitur. / Subſtantiuo minus communi: vt, Vrbs Roma. / Obliquo: vt, Officia Ciceronis. }

Quare omne propemodum adiectiuum, ſuum ſubſtantiuum; & omne inferius, ſuum ſuperius; denique omnes voces rectæ, regentem cõtrahunt; niſi ex earum ſint genere quæ vocantur Determinationes Dilatantes, Explanantes, Alienantes, vel Diminuentes.

Nomine autem determinationis intelligunt Dialectici vocem ſimplicem ſiue coniunctam, quæ alteri tãquam principali adiecta, ipſius afficit ſignificationem, reſtringendo, dilatando, vel alio modo immutando.

Deter-

Determinatio nũ itaq; quinque sunt genera: Quædã enim determinationes sunt

RESTRINGENTES, quæ reuocãt & contrahunt vocis significationem ad pauciora quàm vox per se posita complecteretur: vt in superioribus exemplis accidit. Et hæ solæ ad præsentem locum pertinent.

DILATANTES, quæ vocẽ latiùs, quàm per se pateret, extendunt: vt verbum, potest, in hoc pronuntiaio, Adolescens laborũ magnitudine, & diligentiæ assiduitate ad summã eruditionẽ peruenire potest.

EXPLANANTES, quæ neque contrahunt significationem, neque dilatant, sed eam explicant, atque declarant, ostendendo rei significatæ proprietatem aliquam: vt, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus; adiectiuum (piger) proprietatẽ boum significans, indicat bouem animal esse tardũ & ignauum.

ALIENANTES seu distrahentes, quę prorsus euertunt propriam vocis significationẽ, & ad aliam rem comprehendendam audientis mentem abducunt: vt (pictus) in hac oratione, Vidi Ciceronem pictum: vbi accusatiuus (Ciceronem) pro sola pictura accipitur, quæ omninò non est Cicero.

DIMINVENTES, quæ vocem accipi cogunt pro iis quibus sua significatio imperfectè admodũ conuenit: vt (secundum dentes) in hac enuntiatione, Æthiops est albus secundum dentes. albedo enim tam imperfectè Aethiopi conuenit, vt (album) per se nequeat de Aethiope verè dici.

Solẽt hoc loco Dialectici de omnibus in vniuersum determinationibus vnam tradere generalem regulam memoratu dignissimam, quæ ita habet, Cuicunq; vocabulo additur determinatio, hoc pro omnibus & solis illis accipitur, quibus cum eadẽ determinatione sumptum, verè potest tribui: vt cùm dicimus, Omnes principes qui tyrannidem in suos subditos exercent, Deo & hominibus abominabiles esse; non omnes complectimur principes, sed eos duntaxat, qui iniquo & crudeli dominatu suos subditos opprimentes, recta ratione, & sanctis legib. repudiatis, omnia pro sua libidine gerũt.

Postremò, licet ferè determinationẽ oporteat in eadem extremi parte esse in qua est vox quã afficit, seu (vt

vulgò loquuntur) determinat; tamen negari non potest, quin interdum propter attributum pro eo accipiatur subiectum, pro quo, si aliud esset enunciationis attributum, non acciperetur: vt cùm dico, Leo est marmoreus, prædicati caussa, subiectum (leo) non pro vero leone, sed pro marmoreo sumitur. Vnde tritum apud Dialecticos est istud, Talia sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis.

Ratio argumentandi à restricto ad amplum, & vicissim ab amplo ad non amplum, seu ad restrictum.

FRequens esse solet apud Logicos mentio cuiusdam formæ argumentandi, ab amplo ad non amplum, & à restricto ad non restrictum: verùm quoniam ab ea quæ est à genere ad speciem, aut à specie ad genus, non videtur diuersa; & quidquid ad huius rei pertinere posset cognitionem, fusè à Dialecticis in secundo Topicorum, vbi locos à genere & specie tractant, explicatur, idcirco satius duximus, istam doctrinam in suum differre tempus, quàm intempestiuis præceptionibus hoc loco tyronem onerare.

DE APPELLATIONE LOGICA.

PLurima ante nos alij de Appellationibus sunt commenti: sed quia superuacanea & arbitraria maiori ex parte videbantur, consultò ea prætermisimus, existimantes quicquid in hoc appellationum loco scitu dignum est, id ad ἐπίτασιν posse referri. Quod enim Appellationẽ Dialectici vocant, vt cùm dicitur, Video Papam, hoc est, fungentem iam pontificatu, Grammatici vocant ἐπίτασιν. Quæ quidem figura diligenter est notanda, memoriéq; mandanda: affert enim eius cognitio maximam lucem, quandocunque in disputatione contingit verbum aliquod acriùs vrgeri. Exempli causa, si quis dicat, Noui Imperatorem, volens significare sibi com-

comperta esse omnia quęcunq; Imperatori conueniunt quatenus Imperator est, ἐπίτασις erit; nec refert vtrum hoc ordine verba pronunciet, Noui Imperatorem, an isto, Imperatorem noui; modò eundem sensum qui iam explicatus est, significare & vrgere velit.

In hoc igitur ac cæteris eiusmodi enunciatis ad receptas Grammaticorum regulas sententiã dirigere, & visitatam loquendi intelligendique consuetudinem sequi oportet: qua nulla præceptio in huiusmodi re melior, nulla regula certior inueniri potest, ad quã etiã omnia, quæ à nobis hactenus dicta sunt, tanquam ad Lydium (quod aiunt) lapidem, explorari & emendari cupimus.

Neque interim nos ipsi in istis recognoscendis atque limandis, si tantum otij à grauioribus occupationibus fuerit concessum, elaborare grauabimur: nõ enim ignoramus, quanti referat à prima ætate optimis quibusque disciplinarum rudimentis iuuentutem imbutam esse. Sed de his satis. nunc pergamus ad Expositionem.

DE EXPOSITIONE.

Nihil prætereà addidissem Prodidagmatis meis (si modò mea sunt, quæ ingenuè fateor ex præstantissimorum quorumque Dialecticorũ præceptionibus esse concinnata) neq; enũciationes obscuras exponendi rationem attigissem omninò, ob id, quòd partim à Physicis, partim à Grãmaticis hæc petenda videbãtur; nisi hìc (vt aliàs sæpè) scholarũ me vicisset consuetudo, qua multis iam temporibus obseruatum est, vt cum cęteris Dialecticæ Prodidagmatis simul etiam de explicandis inuolutis enũciationibus aliquid adiungeretur. quæ quidem pars etsi huius loci propria non sit, plurimum tamen lucis & ad veritatem patefaciendam, & ad sophistarum captiones conuincendas, subministrat.

Est igitur Expositio, obscuræ enunciationis aperta & distin-

cta explanatio: vt ista, Solum vitium est vituperandum, sic exponi debet, Vitium est vituperandum, & nihil quod vitium non sit, est vituperandum.

Porrò, obscuriorum enuntiationum (quas vulgò in scholis Exponibiles vocant) genera sex enumerari consueuere his nominibus, Exclusiuæ, Exceptiuæ, Reduplicatiuæ, Inchoatiuæ, Discrepatiuæ, Comparatiuæ, de quibus omnibus ordine iam dicemus.

DE EXCLVSIVIS.

Exclusiuæ enuntiationes dicuntur, quas exclusionis signa obscuras reddunt.

Signa exclusionis sunt, solus, vnicus, modò, solùm, tantùm, tantummodo, & si qua sunt alia eiusdem significationis vocabula. Obscuritas autem enuntiationum exclusiuarum inde oritur, quòd lateat quid à quo excludatur, aut quòd non liqueat, quàm multa exclusionis signum denotet eximenda.

Cæterùm, quoniam non vnius formæ sunt exclusiuæ enũtiationes omnes, idcirco nec vnica eas exponendi ratio est, eaque varietas clariùs & breuiùs paucis exemplis ostendetur, quàm multis regulis. Verissimum namque est quod vulgò dicitur, In exponibilibus iter breue admodum esse & expeditum per exempla, nimis verò longum, obscurum & intricatum per præcepta.

IN PRIMIS,

Quædam sunt exclusiuæ, in quibus nulla negatio est, quæ ad sequentium exemplorum normam exponi debent, Solus sapiens est diues, hoc est, Sapiens est diues, & nullus, qui non sit sapiens, est diues. Tantùm diuitiæ laudantur, hoc est, Diuitiæ laudantur, & nullæ res quæ diuitiæ non sunt, laudantur. Vel sic, Diuitiæ laudãtur, & prętereà nihil. Similiter expones illud Plautinũ, Sola virtus expers sepulcri est: & illud Ouidianum,

Omnia

Omnia perdidimus, tantummodo vita relicta est.

SECVNDO,

Quædam sunt in quibus negatio toti præfigitur enunciationi: cuiusmodi est ista, Non tantùm bestia est animal: quæ sic exponi debet, Bestia est animal, & aliquid quod non est bestia, est animal. Non ignoramus hanc sic exponi solere, Vel nulla bestia est animal, vel aliquid aliud à bestia est animal. Sed videant eruditi, ánne secundum vsitatam Latinè loquentium consuetudinem hæc sit falsissima, Non tantùm homo est lapis. Cuius tamen expositio, si veterem exponendi modum sequamur, erit vera: sic enim sequendo illum modum exponi deberet, Vel nullus homo est lapis, vel aliquid aliud ab homine est lapis: nobis autem vehementer absurdum videbatur, tantam esse dissonantiam inter orationem exponendam & eius expositionem, vt alteram sensus communis tanquam falsam condemnaret; alteram verissimam esse pronuntiaret. Quapropter nemo mirari debet nostram in hac parte recessionem à veteri scholarum doctrina.

Similiter expone illud Senecæ, Vacandum non modò omni crimine, sed & criminis cuiusque suspicione.

TERTIO,

Quædam sunt in quibus soli verbo & non signo exclusiuo negatio adiungitur, quæ ad hunc modum sunt exponẽdæ: Tantũ Deus non est creatura, hoc est, Deus non est creatura, & quæcunque res non est Deus, est creatura. Similiter expone, Solum aurum non vritur: & illud Propertij, *Solus amor morbi non amat artificem.*

QVARTO,

Quædam sunt in quibus tam signo quàm verbo negatio additur: vt, Non tantùm Græcus nõ est Barbarus: quam sic exponimus, Græcus non est Barbarus, & quidam

dam non Græcus etiam non est Barbarus. Sic illud expone, Non tantùm gulæ non est seruiendum.

QVINTO.

Quædam sunt in quibus signum exclusionis adhibetur voci numerũ denotanti: vt, Tantùm quatuor sunt elementa: Tantùm quinque sunt sensus exteriores.

Huiusmodi orationes bifariam Dialectici exponũt:

1. per nomen, plura: *2. per alius, alia, aliud.*

Vt, Tantum quatuor sunt eleméta, hoc est, Quatuor sunt elementa, & non plura. 2. Quatuor sunt elementa, & alia ab his non sunt elementa.

Quomodo autem exponendæ sint illæ exclusiuæ, quæ à parte alterius extremi interiectum habent exclusionis signum, à recepta doctorum hominum loquendi consuetudine petendum est: vt si quis dicat, Priscianum fuisse tantùm Grammaticũ, non negauerit ipsum fuisse virum magnum, doctum, cordatum, diligentem, iustum, &c. sed Theologiæ, Iurisprudentiæ, aut alterius cuiusuis disciplinæ sublimioris scientiam ei duntaxat ademerit. Nam si vis excludentis particulæ, in accidens rei per alterutrum extremum designatæ feratur, solùm excludit alia accidentia, non tamen quæuis alia, sed ea quæ licet alia sint, aliquo tamen nexu cum priori deuincta tenentur. Qualis autem debeat esse iste nexus aut cognatio, certa regula comprehendi nequit; sed tota ista res ex proprietate cuiusque linguæ, & hominum rectè loquentium consuetudine, pendet.

Ex iis quæ modò diximus, manifestum est, nõ idem significare istas orationes, Tantùm Cicero est orator; & Cicero tantùm est orator: neque istas, Solus Virgilius est poëta, &, Virgilius solùm est poëta. Quare diligenter vidẽdum est in istis & similibus omnibus, quid

à quo

à quo excludatur: etenim qui dicit, Tantùm Cicero est orator; omnes præter vnum Ciceronem ab oratoria dignitate remouet atque secludit. Qui verò dicit, Cicero tantùm est orator; oratoriam artem Ciceroni concedens, cæterarum omnium disciplinarum laude illum spoliat. Vnde, quantam sensus diuersitatem exigua ordinis verborum mutatio efficiat, perspicuè cernitur.

De exceptivis.

Exceptiuæ enuntiationes dicuntur, quas exceptionis vocula obscuras reddit.

Excipientes voculæ sunt, Præter, præterquam, nisi, excipio, & quæcunque similis sunt significationis. habet autem exceptio propriè locum, vbi vniuersalis cõprehensio antecessit.

Enuntiationes exceptiuæ, siue affirmationem siue negationem contineant, ad ea quæ sequuntur paradigmata sunt exponendæ, Omne animal præter hominẽ est rationis expers, hoc est, Homo est animal, & homo non est rationis expers, sed omne animal quod non est homo, est rationis expers.

Nullus populus, Christiano excepto, ritè Deum colit: hoc est, Populus Christianus est populus, & populus Christianus ritè Deum colit; sed nullus populus qui non est Christianus, ritè Deum colit.

Cauendum diligenter hîc est, ne secunda inter exponentes sit vniuersalis: neq. enim istam enuntiationem, Omne animal præter hominem est expers rationis, ad hunc modum rectè exponeremus, Homo est animal, & nullus homo est expers rationis; sed omne animal quod non est homo, est expers rationis. nam contingit, talem sequendo exponendi formulam, exponendam enuntiationẽ à sua expositione dissidere: vt patet in isto exemplo, Omne animal præter hominẽ est expers artis

medicæ. cùm enim hæc enunciatio manifestam contineat veritatem, eius tamen expositio, si secunda pars vniuersè ponatur, apertè falsa erit: sic enim exponetur, Homo est animal, & nullus homo est expers artis medicæ; sed omne animal quod non est homo, est expers artis medicæ. cuius expositionis secundam partem redarguit experientia, & falsam esse demonstrat.

DE REDVPLICATIVIS.

Enuntiationes Reduplicatiuæ sunt, quas reduplicationis vocabulum obscuras reddit.

Reduplicationis vocabula sunt, quatenus, vt, & quæcunque similé obtinent significationē; sic dicta, quòd in vno extremo veluti repetāt, & secundò in memoriā reuocent caussam, propter quā ei alterum extremum cōueniat aut nō conueniat. Cùm enim audis, Homo quatenus ex elementis cōstat cōtrariis, est mortalis; illud (quatenus cōstat, &c.) ita accipies, vt sit caussa cur homo sit morti obnoxius. Proprius itaq. harū vocularum vsus est, vt designent caussam propter quā attributum subiecto tribuitur, aut ab eo remouetur. Minus proprius verò & rarior vsus est, vt solùm necessariā quandā consecutionem denotēt: vt hæc oratio, Animal quatenus ridendi facultate præditū, rationis est particeps; si vera concedatur, solū significat alterū extremū alteri consequens esse. Alioqui ex vi reduplicationis significatur, ridendi facultatē esse caussam rationis vsus: quod falsum est. & proinde sequendo Latinè loquendi proprietatem, falsa esset eiusmodi oratio iudicanda.

Tertiò, eædē voculæ explanationis, & perspicuitatis caussa in oratione adhibentur, cùm nimirum per eas significatur alterum inesse alteri secundum cōsiderationem aliquam, quæ nec est caussa inhærētiæ, nec illationis, sed tantùm certam exprimit rationem siue cōditionem,

nem, ſub qua alterũ alteri tribuitur, aut ab eo remouetur: vt ſi dicatur, Princeps quatenus princeps, non peccat; non eſt hoc ſenſu accipiendũ, Principatus eſt cauſſa ob quã princeps nõ peccat; ſed ſolũ ibi explicatur, quo modo nõ peccare principi cõueniat. Item cùm dicimus hominẽ quatenus ægrotum, ſanari, indicamus ſub qũa ratione homini conueniat ſanitatem recipere. Similiter fit dum dicuntur Brabanti ſubiecti eſſe Regi Hiſpaniarum, vt Duci Brabãtiæ, ſeu quatenus eſt Dux Brabãtię.

His ita præmiſſis, dicimus enuntiationes, in quibus reduplicationis vocula propriam vim retinet per hypotheticas cauſſam deſignantes, ad ſequentium exemplorum normam exponi debere.

Exemplum reduplicatiuæ affirmantis.

Homo quatenus eſt rationis particeps, ad ridendum eſt aptus, ſic exponitur: quia homo eſt rationis particeps, ideò eſt ad ridendum aptus.

Exemplum reduplicatiuæ negantis.

Homo, non quatenus legẽ diuinam trãſgreditur, eſt diligendus. Cuius expoſitionem cõtinet iſta hypothetica, Non ideò eſt homo diligendus, quia legẽ diuinam tranſgreditur. Vbi autem ſola denotatur vnius ex altero cõſecutio, per hypotheticam condicionalẽ expoſitio facienda eſt: vt, Animal quatenus ridendi facultatẽ habet, ratione eſt præditũ: ſic exponi debet, Animal ſi ridendi facultatem habet, ratione quoque eſt præditum.

Si verò explanationis cauſſa adhibeatur reduplicationis ſignum, tum per enuntiationem categoricam facienda erit expoſitio, ad hunc modum, Ens vt ens, eſt ſubiectum Metaphyſices, id eſt, Ens acceptum ſub generali notione entis, eſt ſubiectum Metaphyſices.

Tradũt hoc loco nõnulli reduplicationis ſigna cauſſam proximam, & (vt loquuntur) immediatã denotare: vnde

vnde hanc, Socrates vt animal, ſenſu eſt præditus, concedũt; iſtam verò, Socrates vt homo, eſt ſenſu præditus, negant. Quam quidem ſententiam nec probamus, nec magnopere improbamus: & quia non magni refert in quam partem diſcentium iudicia hîc declinent, per nos licet vnicuique quod ſibi probabilius videbitur, ſequi.

De inchoativis.

Inchoatiuas enunciationes vocant, quas verba, incipit, fit, generatur, & eiuſdem ſignificationis alia, obſcuras reddunt.

Sub his comprehende enunciationes ex deſinit, corrumpitur, & ſimilibus conſtantes. De iſtis ſi accuratiùs eſſet agendum, plurima neceſſariò ex Phyſica repetenda forent, de rebus nimirum permanentibus, de fluxis, quas ſucceſſiuas vocant, dę puncto temporis, eiuſque varietate, & aliis huiuſmodi. Quę conſultò hîc omittimus, ne rem abſtruſam, & quæ exercitatum in dialecticis & phyſicis difficultatibus ingenium poſtulat, intempeſtiuè tyronibus obtruſiſſe videamur.

Satis itaque fuerit, vno aut altero exemplo huius expoſitionis rationem guſtandam ſtudioſis præbuiſſe.

De rebus permanentibus, quæ incipiunt aut deſinunt, ſit hoc exemplum, *Homo incipit eſſe.*

Quod ſic explicant, Homo nunc eſt, & proximè ante hoc temporis punctum non fuit. *Homo deſinit eſſe.*

Sic exponunt, Homo nunc non eſt, & proximè antè hoc temporis punctum fuit.

De rebus fluxis quæ eſſe incipiunt, aut deſinunt, ſit hoc exemplum, *Motus incipit eſſe.*

Quod ſic exponere ſolent nonnulli, Motus nunc non eſt, & proximè poſt hoc temporis punctum erit. Alij ſic, Motus nunc eſt, & proximè ante hoc temporis punctum non fuit. *Motus deſinit eſſe.*

Hoc eſt, Motus nunc eſt, & proximè poſt hoc temporis

poris punctum non erit. Alij sic explicant, Motus nunc non est, & proximè ante hoc temporis punctū fuit: sicut de rebus permanentibus, cùm desinere dicuntur, paulò antè exposuimus. Verùm huiusmodi controuersiarum subtiliorem excussionem ex 4. Physicorum petendam relinquimus: nos huius expositionis vsitata exempla studiosis proposuisse ducimus esse plus satis. Nam omittere omninò maluissemus, quia Physices poscunt cognitionem: vbi disputatur, an puncto, an spatio temporis, hominis generatio perficiatur, & alia permulta ad huius loci plenam cognitionem necessaria.

De discrepativis.

Discrepatiuas enunciationes vocant eas quæ ex vocabulo, duarum rerum inter se differentiam denotante, constant.

Vocabula autē differentiam denotantia sunt ista, diuersus, alius, differt, & alia simili prędita significatione.

Harum enunciationum facilis est explicatio: nam hæc, Homo differt ab equo, facillimè ad hunc modum exponitur, Homo non est equus: & ista, Homo non differt ab equo, Homo est idem quod equus.

Cæterùm ista oratio, Socrates differt à seipso puero vir factus, sic exponi debet, Socrates iam vir existens, non est idem secundū omnia accidentia, qui erat puer. Vt doceri solet in declaratione differentiæ communis apud Porph. qui facit idem à seipso diuersum, comparatione temporum diuersorum, & diuersorum accidentium, quæ vno tempore adsunt, alio absunt, quemadmodum accidentis est natura.

Summatim ergo omnia huius generis enunciata explicantur eiusmodi enunciationibus, in quibus rerum differentium vna ab altera vel penitus separatur, vel aliquam habere proprietatem, quæ alteri non conueniat, designatur.

DE ENVNTIATIONIBVS COMPARATIVIS.

ENnuntiationum ex comparatiuo constantium satam obuia expositio est, vt potuerint istius generis enũtiationes non numerari cum orationibus quę egent explicatione. Quia tamen in earum numero à Dialecticis collocari solent, receptum sequentes morem, nonnihil de illis dicemus.

In primis est videndũ, num vera propriáque sit comparatio. Ad propriam comparationem necesse est positiuum eius accidentis in quo fit comparatio, vtrique earum rerum quę comparantur, verè tribui. Quare ista non est propria comparatio, Creatura est ignobilior creatore, Deus est melior diabolo; cùm hæ orationes veræ esse non possint, Creator est ignobilis, Diabolus est bonus: Id quod Aristoteles quoq; docet, vbi secundam qualitatis proprietatem explicat his verbis: ἁπλῶς δὲ ἐὰν μὴ ἐπιδέχηται ἀμφότερα τὸν τοῦ προκειμένου λόγον οὐ ῥηθήσεται τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου μᾶλλον. hoc est: COL. Omninò autẽ, nisi vtraque rationẽ eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterũ altero magis minúsve dicetur.

ARG. Simpliciter si non subeant ambo propositi rationem, alterum altero magis tale minúsve minimè dicetur.

Ex quo Aristotelis loco perspicuum est, comparatiuum impropriè accipi in iis omnibus comparatiuis enuntiationibus, quæ secundum receptam doctorum hominum loquendi consuetudinem veræ iudicantur, & tamen positiuus eius accidentis in quo fit in iis comparatio, non potest vtrique rerum inter se comparatarum verè attribui.

Quæ quidem impropriç comparationis enuntiationes aientes exponi debent interdum per duas simplices

tes enuntiationes coniunctione copulatiua inter se cõnexas: in quarum priori accidens per comparatiuum designatum de re cui tribuebatur comparatiuus affirmetur: in secunda verò idem accidens de altera re in comparationem adducta negetur. Exempli caussa, ista enuntiatio, Deus est melior diabolo, sic exponi debet, Deus est bonus, & diabolus non est bonus.

Interdum verò eiusmodi enuntiationes impropriam comparationem continentes, exponi debent per vnam simplicem enuntiationem, in qua accidens contrarium ei quod per cõparatiuum designatur, adiuncto illi aduerbio, minus, de ea re cui tribuebatur comparatiuus, dicatur; ad hunc modum: Simplex furtum melius est sacrilegio, id est, Simplex furtum est minus malum quàm sacrilegium.

Negatiuæ autem istius generis enuntiationes modo contradictorio exponi debent: quarum exempla, tum quia facilia sunt, tum etiam quoniam à communi & vulgari loquendi consuetudine abhorrent, consultò prætermittimus. Quæ verò perfectam & propriam denotant comparationem, eas solent per tres enuntiationes exponere: affirmantes quidem hoc modo, Cygnus est albior homine, id est, Cygnus est albus, & homo itẽ albus est: nullus tamen homo tam est albus quàm cygnus. Item: Omnis leo fortior est homine; sic exponitur: Omnis leo est fortis, & homo est fortis, & nullus homo est tam fortis quàm leo.

Negantibus verò enuntiationibus, quæ affirmantibus contradicunt, expositio contradicens accommodanda est: vt, Non omnis leo fortior est homine, sic exponitur: Aut aliquis leo non est fortis, aut nullus homo est fortis, aut aliquis homo tam est fortis quàm leo.

De svperlativorvm expositione.

ENuntiationes ex ſuperlatiuo conſtantes hinc difficultatem habere videntur, quòd ſuperlatiuus nunc per affirmationem, nunc per negationem exponatur. Si per affirmationem exponere libeat, quæ expoſitio maximè propria eſt (quemadmodum natura trium graduum arguit, exigens rem ſuperlatiuo denominatam tertio velut gradu ſuperare: vt eruditiſſimè Laurentius Valla docet libro ſuarum Elegantiarum primo) ſequeris hoc paradigma, Cicero eſt Romanorum eloquentiſſimus, id eſt, Cicero eſt Romanus eloquens, & alij plerique Romani item ſunt eloquentes: verùm Cicero cæteros Romanos omnes eloquentia vincit. Si verò per negationem interpretari placeat, imitaberis hoc exemplum, Subſtantia eſt genus ſupremum, id eſt, Subſtantia eſt genus altum, & alia pleraq; ſunt alta genera, nihil tamen eſt quod ſubſtantia ſuperius genus dici poſſit. Cuius expoſitionis cognitio, & ad Iſagogen Porphyrianã, & ad Categorias Ariſtotelis rectiùs intelligendas non parum conducit. Vbi inquiri ſolet, an modò cõmemorata oratio (Subſtantia eſt genus ſupremũ) per affirmationem veritate conſtante exponi poſſit? Ad quam quidem quæſtionem facilis eſt & plana ex hoc loco reſponſio: nimirum, poſſe, ſi comparatio ad genera categoriæ ſubſtantiæ tantummodo referatur: non poſſe autem, ſi ad omnia in vniuerſum genera comparatio extendatur.

Quòd ſi enuntiationes ex ſuperlatiuo conſtantes negationem contineant, qua ſuperlatiuus negetur, earum expoſitio per diſiunctiuam enuntiationem conficietur, hoc modo, Therſites non fuit Græcorum formoſiſſimus, id eſt, vel Therſites non fuit Græcus formoſus, vel

nulli

nulli Græci fuerunt formosi, vel non omnes Græcos formæ elegantia superauit Thersites.

Hactenus eas explicauimus dialecticas vocum affectiones, quæ ad nostrum institutum videbantur pertinere, quæque ad veritatem faciliùs in omni oratione eruendam aliquid habere momenti iudicauimus: quíbus viua præceptoris vox facilè addere poterit, si quid vsquam deesse videatur.

Anacephaleosis capitum omnium in Prodidagmatis tractatorum ad faciliorem repetitionem, & confirmationem memoriæ puerorum.

IN Prodidagmatis Logices agitur de varia vocum vsurpatione; quam qui ignorat, aut certè non aduertit, is procul dubio & in veritate & falsitate orationis iudicanda (quæ duæ res in omni disciplinarum genere præcipuum tenét locum) insigniter est hallucinaturus. Neque enim fieri potest, vt is verè & sine hæsitantia quid verum, quídve falsum sit, definiat, qui non videt quando vocabulum denotet communem speciem, quando indiuidua: quando ipsum latiùs vagetur, quãdo sit angustiùs accipiendum, &c. quæ omnia subiecta tabella ob oculos ponit.

Voces vsurpantur

- πχνικῶς pro
  - Seipsis: vt cùm Dialectici dicunt, Homo albus, est oratio neque vera neque falsa
  - Similibus in numero & casu, in alia oratione: vt subiectum huius, Homo dicitur de Catone.
  - Dissimilibus in numero vel casu: vt in exéplo iam cōmemorato ablatiuus (Catone) pro nominatiuo (Cato) in hac oratione posito, Cato est homo, accipitur. 14
- Significatiuè pro rebus
  - Simpliciter seu pro rebus primò significatis: vt cùm Dialecticus dicit, Homo est species. 15
  - Personaliter seu pro rebus non primò significatis
    - Singulariter: vt subiectum huius, Cicero est eloquentiæ Romanæ princeps. 20
    - Communiter
      - Determinatè: vt subiectum huius, Aliquis homo est laude dignus. 23
      - Cōfusè
        - Disiunctim: vt attributum huius, Omnis bestia est animal. 33
        - Copulatim: vt subiectum huius, Omnes sensus exteriores sunt quinq;. 33
      - Vniuersè
        - Pro omnibus
          - Singularibus: vt subiectum istius enuntiationis, Omnis homo naturâ scire desiderat. 36
          - Generibus aut speciebus: vt subiectū istius pronuntiati, Homini omnis sensus inest.
        - Pro non omnibus, sed commodè accipienda est vniuersalis significatio: vt, Deus creauit omnia. 36
        - Pro duobus tantùm: vt, Nudus vterque iacet.
      - Amplè, pro rebus significatis relatis ad diuersa tempora: vt in lege Atiniæ, Quod surreptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. 43
      - Restrictè, per aliquam determinationem adiectam: vt (opes) in hac, Nullus ad amissas ibit amicus opes. 49

Tabulas de appellatione & expositione ob chartæ angustiam omittimus: quas si quis desideret, diligenter ea quæ superiùs sunt à nobis de his rebus dicta, perlegat: quæ diligentia antegressâ, nullius fuerit negotij desideratas tabellas conficere.

Quis sit Prodidagmatum vsus, habes pagin. 6. & 13. multisque aliis locis.

AD PRODIDAGMATA LOGICES APPENDIX.

HVNNÆVS LECTORI.

SOLENT alij Dialectici, amice Lector, dicturi de vocum acceptionibus, primo statim initio varias recensere vocis seu verbi simplicis diuisiones, vtiliter quidem, sed nostro iudicio nimis aridè atque ieiunè. Cùm enim in istis rebus vtilitas & vsus potissimùm discentibus ostendi debeat, totum hunc locum silentio præterierunt. Nos satius duximus eiusmodi diuisiones in extremam nostri libelli partem differre, easq́ue paulò latiùs quàm alij solent, pertractare, adiungendo videlicet de vsu & vtilitate huius doctrinæ, quod ab aliis est prætermissum, vt in his rebus per se horridioribus ediscendis, conspecto earum fructu atque premio, labores à iuuenibus libentius & alacriùs suscipiantur.

Hæc te paucis monere volui, optime lector, vt nostri consilij cognitam haberes rationem. Vale igitur, & in iudicando candorem adhibe; nostrumq́ue laborem iuuentutis vtilitati destinatum, fronte serena quæso excipere velis.

DE MVLTIPLICI VOCVM APVD DIALECTICOS VSITATA DIVISIONE, BREVIS ISAGOGE.

VOx ſignum eſt mentis, eiuſque index & exemplar, vt ait Quintilianus. hinc dicitur vox ſignificare. Eſt autem ſignificare, parti intelligenti ſeu menti aliquid repręſentare. Quod quidem fit aliquando ex hominum inſtituto, aliquando verò alia ratione.

Vnde ſignificare diuiditur in Significare { ex arbitrio hominum, & ex natura.

Illud ſignificat ex arbitrio hominum, quod ex hominum auctoritate ac inſtitutione ſuam ſignificationẽ accepit: vt voces cuiuſq; idiomatis propriæ, quæ nõ intelliguntur, niſi ab iis qui idiomatis eiuſmodi ſunt periti.

Vocis ex arbitrio hominum ſignificantis bipartita eſt

Significatio, { Pura, { Primaria, Secundaria. ; Miſta,

Pura ſignificatio eſt, cùm pręter rei nudam naturam nihil amplius per ipſam vocem deſignatur: cuiuſmodi ſunt harũ vocũ ſignificationes, homo, cęlũ, vitiũ, virtus.

Primaria ſignificatio eſt res quæ ſtatim vt vox oblata eſt, menti repræſentatur: vt eſt animalis natura, per hanc vocem (animal) denotata.

Secundaria ſignificatio eſt id de quo vox dicitur ratione primariæ ſignificationis. Sic animalia ſingula dicuntur ſecũdariæ ſignificationes huius vocis (Animal:) Nam & hic homo eſt animal: Itẽ illa beſtia eſt animal. Et idem de cæteris, quibus animalis natura ineſt: idque ratione primarię ſignificationis, ſeu naturæ cuiuſdã cõ-

munis per animal primò deſignatæ, quam participant omnia eius inferiora atque indiuidua. Sic (albi) licebit duplicem diſtinguere ſignificationem: nam (album) primò ſignificat albedinem ipſam: ſecundo autem loco, omnes res albas, ebur, cygnum, parietem, &c.

Miſta ſignificatio eſt, cùm præter rei nudam naturam, aliquis modus quo illa res accipi debet, per ipſam vocem quoque deſignatur: Cuiuſmodi cernere licet in iſtis vocibus, Nemo, Nuſquam, Aliquando, Semper, & his ſimilibus. de quibus poſteà latiùs dicetur.

Ex natura id ſignificat, quod non ex hominum arbitrio, neque voluntate, ſed ſuaptè natura aliquid repræſentat, vt imago Cæſaris, Cæſarem: gemitus infirmorum, dolorem: riſus, lætitiam: & quod in ſpeculo eſt, rem ante ſpeculum poſitam.

Vnde palàm eſt magnas & apertas in ſimplicibus vocibus non modò diuerſis, ſed etiam iiſdem inueniri ſignificandi varietates: ad quarum dilucidiorem explanationem aliquot vocis ſimplicis ſubiiciemus diuiſiones, præmiſſa tamen conſueta ac generali ſignorum, de quibus apud Dialecticos in hoc tractatu agi ſolet, diſtributione.

Generalis diuiſio ſignorum.

1. ſectio. Signum

Notio ſeu ἔννοια, Vox, Scriptura.

Notio ſeu ἔννοια eſt quædam rei interior repræſentatio, & quoddam veluti ſimulacrum, quod vel audita voce, vel conſpecta ſcriptura mente comprehendimus: vt quilibet experiri poteſt audita hac voce, homo, vel equus.

De his notionibus ſeu conceptibus (vt alij vocant) plura extant apud Ariſtotelem initio libri περὶ ἑρμηνείας.

Vox,est vocabulum ore pronuntiatum, vt vocabulum(homo) cùm profertur.

Scriptura,est vox literis expressa: vt scriptura(homo) quacunque in materia formetur, siue charta, siue ligno, siue ære, siue lapide, & quocunque instrumento. atqui hæc tria pulcherrimo inter se ordine cohærent.

Notio, Vox, Scriptura.

Notionē primū,deinde vocem natura instituit:postea scripturā hominū industria adiecit. Cùm enim homo natura ciuilis sit & socialis, magis quàm quoduis aliud animal,neq; possit alter alterius intueri animum; datæ sunt ei à natura voces, velut signa quædam & instrumenta ad exprimendas aliisq; patefaciendas animi sui cogitationes. Cùm verò ad absentes & eos qui futuris sæculis nos secuturi sunt,vocibus vti non liceret, inuentæ sunt posteà ab ingeniosis hominibus literæ,quibus mētis cogitata etiā ad posteros & absentes trāsmitterentur. Quarū inuentionē Lucanus ad Phœnices refert his versibus, *Phœnices primi (famæ si creditur) ausi*
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Ex triplici signo iam commemorato nobis vox seu vocale signum in his Logices Prodidagmatis totaque Logica præcipuè vsui est: de quo & deinceps agetur. De scripturis quidem & animi notionibus incidit quoque nonnunquam mentio, sed rariùs: & signo vocali rectè intellecto, scripturam & animi notionem illi respondentem intelligere nullius est negotij.

Diuisio vocis.

2. sectio. Vox

Simplex, Coniuncta seu oratio.

Vox simplex,est vnicū alicuius linguę vocabulū, separatim sumptū: vt sunt, cælū, terra, scientia, virtus, & c.

Vox

Vox coniuncta seu oratio, est vocum simpliciũ aptè & secundum Grammaticæ leges inter se cohærentium aggregatio: cuiusmodi sunt istæ, Vir probus, mulier pudicatitem ista, Non omnia possumus omnes. Cæterùm vox coniuncta non est nostri instituti: quapropter ea omissa, simplicis vocis tantummodo diuisiones persequemur.

3. sectio. Vox simplex

Categorematica,	Syncategorematica,	Mista.
Κατηγόρημα,	Συνκατηγόρημα,	Μικτόν.

Categorematica vox, est, quę ex se aliquid significat, seu rem aliquã audiẽtis animo repræsentat, & nullũ includit syncategorema; vt (homo) ex vi suæ significationis designat animal rationis particeps, & illud audiẽtis animo repræsentat. Græci huiusmodi vocabulũ appellãt Κατηγόρημα, Latini significatiuũ vulgò interpretãtur.

Syncategorematica vox, est vocabulum, quod nihil ex se significat, sed solùm cum aliis positũ tribuit illis significandi modum: vt cùm dico, Omnis homo est animal; nihil quidem vniuersale signum ibi significat, ipsum tamen non esse otiosum palam est: nam vocis (homo) significationi modum addit talem, vt iam vniuersè res significatas repræsentet. Syncategoremata igitur sunt, Omnis, quilibet, nullus, aliquis, quidam, hic, ille, vtinam, quidem, apud, & huiusmodi sexcenta, quæ vel signa sunt vniuersalia aut particularia, vel coniunctiones aut præpositiones: huiusmodi sunt etiam aduerbia nonnulla; denique & pronomina primitiuæ speciei suis substantiuis adiuncta, atque adiectiuè sumpta. Nã cùm ponuntur per se loco proprij nominis, tunc categorematum vim & significationem habent, atque significãt idem quod illa quorum loco ponuntur.

Vox mista est, quæ simul & categorematis & syncategorematis vim ac denotationem complectitur: vt nemo, id est, nullus homo. Qua significatione etiam (nullus) reperitur: vt, Nullus vbique potest felici ludere dextra: Nihil, id est, nulla res: Semper, id est, omni tempore: Vbique, id est, omni loco: Nusquam, id est, nullo loco: & sic de aliis tum nominibus, tū aduerbiis, de quibus in Prodidagmatis plurima sunt exempla, vbi signorum vis & natura explicatur.

Aduertant studiosi, sublatis categorematis, syncategoremata significationis expertia esse: non aliter atque membrū à reliquo corpore resectū exangue est, omnique suo vigorę destitutū: vt signum (Omnis) (quilibet) vel (aliquis) quid quæso designabit, nisi cuipiam voci significanti coniungatur? Nihil profectò. Verùm alteri additum, magnam efficit in illius significatione mutationem. Hinc diuersitas oritur, cùm dicitur, Omnis homo, & cùm dicitur, Aliquis homo: nam (homo) per accessionem signi vniuersalis induit aliam affectionem, nimirum, vt vniuersè sumatur; quam affectionem non habet, quando præfigitur illi signum particulare.

Item quemadmodum inter notas Arithmeticas o. per se nihil significat, sed aliis addita mutat eorum significationem: vt, 1. quod vnum significat, addito o. (10) fit decem: & 2. quod duo denotat, addito o. (20) significat viginti: ita syncategoremata, quæ per se nihil omnino significant, aliis addita, eorum significandi modum immutant: vt cuiuis eorum naturam atq. vsum in oratione consideranti planum est.

4. sectio. Vox categorematica

Vniuoca, Aequiuoca.

Συνώνυμον, Ομώνυμον.

Vox

Vox ſynonyma ſeu vniuoca dicitur, quæ vna ratione notioneque res ſibi ſubiectas repræſentat.

Homonyma ſeu æquiuoca vox dicitur, quæ diuerſis rationibus notionibusque res ſibi ſubiectas repræſentat: vt (homo) ſi ad ſingulos homines viuos denotandos referatur, vox eſt ſynonyma. Nā hos omnes vnica ratione notioneque deſignat.

Eadem vox (homo) ſi ad hominem, alium quidem viuum, alium autem pictum referatur, vox erit homonyma. Nam non vnica ratione aut notione illos ſignificat, ſed diuerſis rationibus atque notionibus. Idem ergo vocabulum cum diuerſis collatum, ſynonymum eſt ſeu vniuocum, & homonymum ſeu æquiuocum: vt de voce (homo) iam oſtenſum eſt. De vniuocis & æquiuocis ſi quis latiorem explanationem requirat, noſtram conſulat Dialecticam in eo tractatu qui categoriarum tractationem proximè antecedit: ibi quod hîc deeſt, latè explicatum inueniet.

5. ſectio. Vox

Communis, Singularis.

Vox Communis eſt, quæ multis rebus ſignificandis eſt deſtinata: cuiuſmodi eſt animal, quæ vox omnibus iis quæ animalis nomine continentur, ſignificandis eſt impoſita: Et ſimiliter de aliis vocibus quæcunq; multas res ambitu ſuæ ſignificationis comprehendunt, eſt dicendum. Ex qua definitione intelligitur latiùs hoc loco vocem communem patêre, quàm apud Porphyrium vocem vniuerſalem.

Singularis vox eſt, quæ vnicæ rei ſingulari denotandæ eſt impoſita: cuiuſmodi ſunt iſtæ, Petrus, Roma, Hæc arbor.

Cæterùm, vt pleniùs intelligant ſtudioſi, quas voces

pro singularibus Dialectici habeant, aliquot eorum regulas hîc subiiciemus.

PRIMA EST.

Omne nomen propriæ qualitatis, est vox singularis, quamcunque rem designet, siue hominem, siue equum, siue canem, siue montem, fluuium, oppidum, regionem; siue quoduis aliud: vt, Virgilius, Bucephalus, Lycisca, Atlas, Dilia, Louanium, Brabantia, & similia omnia.

SECVNDA.

Nomen appellatiuæ qualitatis sumptum cum pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, est vox singularis: vt cùm dicimus, Hic homo, hoc animal, hæc substantia. nam & ex genere & ex specie singularis vox, pronominis accessione, confici potest.

Dixi (*cum Pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei*) quãdoquidem alia pronomina communibus vocabulis adiuncta, non singulares voces efficiunt, sed communes relinquunt: vt, Codex meus, quemlibet è meis libris significat, & quolibet eorum ostenso, verè dixerim, Hic est meus codex.

TERTIA REGVLA.

Nomen commune sumptum cum singulari in eodem casu, etiam si, qui, quæ, quod, intercedat, est vox singularis: vt cùm per appositionem Grammaticorum figuram dicitur, Virgo Maria, vrbs Athenæ: Item, Equus Alexandri qui est Bucephalus.

Consultò adiecimus (*in eodem casu*) alioqui enim vox permanebit communis: vt cùm dicitur, Liber Aristotelis, Equus qui est Alexãdri Magni. In quibus exemplis manifestum est, voces communes per accessionem indiuiduarum vocum restringi quidem, non autem singulares reddi.

QVARTA REGVLA.

Omnis coacernatio ex vocibus singularibus interueniente copula

pula(&,vel similis)copulatim accepta, pro singulari voce habetur. Verbi gratia, si dicam, Orestes & Pylades sanctissimè amicitiam coluerunt; subiectum pro singulari voce habetur: neque obstat quòd pro duobus hominibus capiatur, satis est quòd nō possit separatim de multis verè dici. Secus est de illa vocum coaceruatione quæ fit interueniente coniunctione disiunctiua, siquidem ea non in singularium, sed in communiū vocum numero reponi debet, nisi ex singularibus vocibus planè inter se synonymis constaret. quod rarum est apud scriptores: vt hæc vocum coaceruatio (Virgilius vel Cicero) est vox communis, quia separatim de vtroque dicitur. Nam & hic (Cicerone demonstrato) est Virgilius vel Cicero, & ille (ostēso Virgilio) est Virgilius vel Cicero.

Ista verò (Tullius vel Cicero) est vox singularis, quia idem planè (Tullius) & (Cicero) significant, neque diuersis rebus tribui possunt.

Dictū est (*ex vocibus singularibus*) vt ostenderetur, alioqui copulatū esse vocem cōmunem, siue ex vtraq; parte cōmuni, siue ex altera tantùm componatur: vt (Orator & Philosophus) de multis seorsùm acceptis dicitur. Nam hinc Tullio & Aristotele, hinc Demosthene & Platone demonstratis, verè dicas, Hi sunt orator & philosophus. Istud quoque (Homo & Socrates) communis vox est, diciturque de multis seorsùm, vtporè Socrate & Aristotele, item Socrate & Theophrasto: quorum vtrouis pari ostenso, verè dixeris, Hi sunt homo & Socrates.

Postremò adiectum est (*si coniunctio, &, vel similis copulatim sumatur*) ad indicandum, non vnius vocis, sed duarum potius aut pluriū vim & locum obtinere eam verborum coaceruationē, in qua (&) copulatiuè accipitur: vt in hoc exēplo, Socrates & Aristoteles maximā excitauit

tauit apud posteros sui admirationẽ. neq; enim si sententiam spectes, est vnum duntaxat huius pronunciati subiectum, sed duo, vt ex Zeugmaticæ locutionis proprietate facilè demonstrari potest: ex quo consequitur, nunc commemoratam vocum coaceruationem non ad simplicium verborum, de quibus in præsentia agimus, sed ad coniunctorum ordinem propriè pertinere. Alij aliter dicunt atque docent: nos quod ad veritatem proximè accedere videbatur, ingenuè aperuimus, in mediumque protulimus; liberam interim lectori de hac tota re & iudicandi, & quam voluerit opinionem amplectendi, concedentes potestatem.

Verùm, vt clariùs intelligat iuuentus, quæ de (&) nunc copulatim, nunc copulatiuè sumpto diximus, sequentem subiecimus tabellam, vbi eadem opera aliquid de disiunctiua coniũctione addidimus, quoniam disiuncti quoque superiùs facta est mentio.

- Coniunctio
  - Copulatiua quæ accipitur
    - Copulatiuè, quãdo enũciationes simplices copulans, coniunctam seu hypotheticam (vt vulgò appellãt) efficit enunciationẽ: vt in ista enunciatione, Xenocrates calcaribus eget, & Aristoteles indiget freno.
    - Copulatim, quando partes subiecti vel attributi simplicis enunciationis inter se nectens, coniunctam non efficit enunciationem: vt hîc, Ignis & aër corpora sunt simplicia.
  - Disiunctiua quæ accipitur
    - Disiunctiuè, quando simplices enunciationes nectens, coniunctam efficit enunciationem. vt in hoc exemplo, Amat mulier vel odit.
    - Disiunctim, quãdo partes subiecti vel attributi simplicis enũciationis connectens, non efficit coniunctam enũnciationem: vt in hoc pronũciato, Omne animal est particeps rationis, vel rationis expers.

De his omnibus regulę permultę tradi possent, quas tamen consultò prætermittimus, quòd his quæ modò dicta sunt, cognitis, patefacta sit via ad reliqua facilè inuenienda. Et si in aliqua huius generis difficultatum hæreat Lector, doctorum hominum loquendi consuetudinem

tudinem potius quàm regularum subtilitatem consulendam censemus.

6. sectio. Vox

Primæ intentionis, Secundæ intentionis.

Vox primæ intentionis, secundum Boëthij doctrinam, est vocabulum ex prima instituentium intentione destinatum ad rem aliquam designandam, siue ea substantia sit, siuè accidens: cuiusmodi sunt vocabula omnia iis rebus tributa, quibus in familiari congressu vulgus hominum passim vtitur, dum vnus alteri mentis suæ cogitata vult aperire atque detegere: vt, homo, arbor, lapis, percutio, amo, & similia.

Vox secundæ intẽtionis vocabulum est ad disciplinę alicuius tractationem destinatũ, & vocis ipsius aliquam proprietatem denotans: vt, nomen, pronomẽ, verbum, declinatio, coniugatio: item, vniuersale, genus, species, indiuiduũ, syllogismus, & id genus infinita, quæ aliàs vel vocabula artium, vel nomina nominum vocantur: passim tamẽ à Dialecticis nomina secundæ siue impositionis siue intentionis appellantur. Cuius quidem appellationis hæc mihi videtur esse ratio, quòd prima hominum cura fuerit, vt singulis rebus, de quibus verba facere in consortiis atq; conuentibus oporteret, sua nomina imponerentur. Postquam verò huic intẽtioni vtcunque satisfactũ viderũt, vlterius progredientes, quoniam animaduertebãt necessarias fore artes aliquas per quas nominibus inuentis rectè vterẽtur: alia excogitauerunt vocabula, quę disciplinis duntaxat inseruirent, & vocum proprietates denotarent. Omnibus itaq; rerum nominibus iam constitutis, ad ipsorum nominum proprietates exquirendas & appellãdas transierunt. Et huiusmodi vocabulũ quod casibus inflecti posset, nomen:

men: quod autem temporibus variaretur, verbum, appellandum censuerũt. Hac de re diffusè agit Boëthius, primus huius diuisionis auctor, in eo libro quo categoriarum Aristotelis explicationem persecutus est.

Alij aliis quidem verbis, eôdem tamen ferè recidentibus, istius sextæ sectionis membra definiunt, Vocem primæ intentionis eam dicentes, quæ aliquid rei veræ citra mentis operationem conueniens denotat: vt, Homo, planta, aër, cælum, virtus, scientia, & similes.

Secundæ autem intentionis, eam quæ id significat quod rei veræ non conuenit, nisi propter mentis imaginationem, & certam ipsius rei veræ apprehensionem: cuiusmodi sunt, Genus, species, differentia, & similes.

De vtilitate huius diuisionis.

In primis cõfert hæc diuisio plurimùm ad acceptionem technicam & simplicem rectiùs intelligendam. Solet enim dici, Quoties subiecto secundæ intentionis vocabulum tribuitur, subiectum accipi technicè aut simpliciter: de quo plura suo loco. Insuper qui hodie Logicam profitentur, inter docendnm frequenter talium vocabulorum faciunt mentionem. Quare eorùm facilem ac planam attulisse explicationem, dum in vocis simplicis diuisionibus versamur, neque ingratum studiosis, neque inutile futurum rati sumus.

7. sectio. Vox

Propriè sumpta, | Metaphorica seu translata.

Vox propriè sumpta, est, quę in oratione posita, id, ad quod significandũ fuit imposita, designat: vt in ista oratione, Homo est animal rationis & consilij particeps: item, Quicquid est simplicium vocum primã & genuinam retinentium significationẽ, propriè accipi dicitur.

Vox metaphorica seu per tropũ vsurpata (latè enim hîc

hîc metaphoræ nomen accipitur) est simplex vocabulum, quod à significatione genuina & propria, ad impropriam transfertur: vt cùm dicimus, Video, pro intelligo; Olfacio, pro suspicor. Item cùm astutum, vulpem; animosum, leonem; delatorem, canem dicimus: & aliàs sæpe, cùm nomen aut verbum ex proprio loco in eum transfertur, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio conuenientius iudicatur.

Hanc vocis diuisionem nequaquã putauimus omittendã, quòd his, quæ de ipsa diximus, probè intellectis, obscurissimus ille locus in Dialectica, à trãslatione, clarissimè & facillimè intelligatur, vnica nimirum hac regula obseruata: Quidquid alicui cõuenit sub voce metaphorica, seu translata, idem quoque sub voce propriè sumpta conuenire, & contrà: vt, Turpe est hominẽ esse pecudẽ: ergo, esse hominẽ voluptariũ, turpe est. Rursus, Si leo rugiens fugiendus est, & diabolus est fugiendus.

8. sectio. Vox

Concreta, Abstracta.

Vox concreta, est vocabulum simplex, quo res aliqua per modum compositionis, seu vt alteri connexa significatur: vt, Album, nigrũ, homo, elementum, & similia vocabula. hoc enim vocabulo (album) albedo, nõ simpliciter, sed vt suo subiecto inhærens denotatur. Similiter hac voce (homo) natura humana, non quidem nudè, sed vt connexa cum aliquo indiuiduo significatur.

Hinc liquet duplicem esse vocis concretæ significationem: vnam qua rei alicuius naturam designat; alterã verò, qua illud in quo eius rei natura sita est, audientis animo repræsentat: quarũ hæc secundaria & materialis, illa verò primaria & formalis à Dialecticis appellatur.

Vox abstracta, est vocabulũ simplex, quo rei alicuius

natura

natura nudè,non comprehenſo eo in quo ineſt & conſiſtit,deſignatur:vt,albedo,nigredo,humanitas, ſi hoc nomine ad deſignādam humanam naturam vti liceat.

Abſtracta vox hinc nomen ſuum ſortita eſt, quòd rē veluti iam non adhærentem ſeu affixam alteri, verùm vt abſtractam & ob omni materia ſeparatam denotet. nam cùm auditur (albedo) audientis animus ad albedinem ſeorſum cogitandam ducitur, ita vt ſubiectum cui inhæret albedo,non ſimul comprehendat.

Iſtud quoque obiter hoc loco diſcendum, duplicem eſſe apud Dialecticos vſitatā abſtractorum diſtinctionem. Quædam enim vocātur abſtracta non vltima abſtractione,in quibus videlicet ſupereſt quod iterū mētis conſideratione abſtrahi poſſit: vt cùm dicitur (albedo)abſtractio facta eſt à ſolis ſubiectis, non autē ab indiuiduis ſeu inferioribus albedinis. Quædam abſtracta vocantur vltima abſtractione, in quibus videlicet non eſt reliquus aliquis vlterior abſtrahendi locus, ſed purè exprimitur rei cuiuſpiā natura, id eſt, ab omnibus aliis rebus cum quibus reuera colligata eſt, mentis cogitatione ſeparatur,vel potius, illis rebus prætermiſſis, ipſa ſola,& nuda conſideranda proponitur: vt dum ficto à Dialecticis vocabulo,ad albedinē eo modo ſignificandam dicitur (albedinitas) vbi poſtrema abſtractio eſt, nō ſolū à ſubiectis omnibus, ſed omnibus etiam inferioribus; cùm neque de ſubiectis, neque de inferioribus vllis dici queat albedinitas. Neque quemquam offendere debet vocis huius inſolentia,cùm Cicero dixerit, Appietatem & Lentulitatem,ita ſcribēs: Vllam Appietatem,aut Lentulitatem valere apud me plus quàm ornamentū virtutis exiſtimas? Neque iſtud docti viri improbant, præſertim ſi neceſſitas cogat, dum volumus res abditas & apud doctos tantummodo vſitatas ſignifi-

ſignificare,quæ commodè aliter explicari non poſſunt.

9.ſectio. Vox

Relata, Abſoluta.

Vox relata eſt,quæ vnius ad alterũ reſpectũ, ſiue relationẽ ſignificat:vel,cuius vis & ſignificatio ſine duarum rerũ inter ſe collatione intelligi nequit: cuiuſmodi ſunt iſtæ voces,Pater filius,dominus ſeruus,& ſimiles.

Vox abſoluta eſt,quæ vnius ad alterũ reſpectum ſeu relationem nõ denotat,ſed tali prædita eſt ſignificatione,quæ conſtare & intelligi poteſt, citra vllarum rerum inter ſe comparationem:cuiuſmodi ſunt,Homo,Angelus,Terra,Cælum,Albedo,Prudentia,& ſimiles.

De relatis & abſolutis vocibus copioſè diſſerit Ariſtoteles in categoriis,vbi abſolutas voces in tres claſſes; relatas verò in ſeptem,diſtribuit.

10.ſectio. Vox

Reciproca, Non reciproca.

Eas voces reciprocas vocant Dialectici,quæ inter ſe reciprocantur,hoc eſt,quæ ſalua enuntiationum veritate,de ſe mutuò vniuersè dicũtur: vt, Aptus ad ridendum,& homo:nam quidquid aptum eſt ad ridendum, idem eſt homo:& è diuerſo,Quidquid homo eſt, idem aptum eſt ad ridendum.

Huc referri poſſunt ſynonyma, quæ cum reciprocis magnam habent cognationẽ. Nã de ſe mutuò vniuersè & verè,quẽadmodum illa,enũtiantur:ſed in hoc differunt,quòd ſynonymorũ eadẽ planè debeat eſſe ſignificatio,non autẽ reciprocorũ: vt ex his exẽplis eſt perſpicuũ,Aptus ad ridendũ,aptus ad flẽdum: enſis, gladius.

11.ſectio. Vox communis.

Magis communis, Minus communis.

Vox magis communis eſt, quæ cum alia voce comparata vniuersè quidem & verè de ea enútiatur; eidem tamen non poteſt ad ſimilem modum ſubiici.

Vox minùs communis verò eſt, quæ cum alia voce comparata vniuersè quidem & verè illi ſubiicitur, ſed de eadem non poteſt ad ſimilem modum enuntiari: vt, Omnis homo animal quidem eſt, ſed nõ omne animal eſt homo. Atque ideo animal vox magis communis, homo verò minus communis vox appellatur.

12. ſectio. Vox

Excedens, Exceſſa.

Dicuntur autem eæ voces ſe mutuò excedere, quæ licet in vno tertio ſingulari conueniant, in aliis tamen diſcrepare inueniuntur, ita vt earum vtraque de aliqua re ſingulari verè dicatur, de qua altera dici non poſſit: Exempli gratia, tales voces ſunt corpus inanimatum, & corpus miſtum: Item beſtia, & animal bipes. conueniunt enim corpus inanimatum & corpus miſtum in lapide, ſed diſcrepant in aëre & leone: ſimiliter beſtia & animal bipes conueniunt quidem in bubone, diſcrepant autem in homine, & boue.

13. ſectio. Vox

Diſparata, Non diſparata.

Diſparatæ voces dicuntur, quæ de eodem tertio ſingulari verè affirmari nequeunt: vt, Anſer & aſinus, homo & cygnus.

Non diſparatæ voces ſunt, quæ de eodem tertio ſingulari verè affirmari poſſunt: vt ſunt illæ, quæ ſuperiùs reciprocæ, excedens & exceſſa, magis communis & minus communis ſunt vocatæ.

Accuratior diſparatarum vocum ſeu differentiũ (vt Rodolphus vocat) explicatio circa finem categoriarum Ariſto-

Aristotelis tradi solet, vbi quid inter disparatas & oppositas voces intersit, fusè declaratur.

VSVS.

Has quatuor posteriores sectiones admodum vtile fuerit obseruasse, quòd frequenter in Logica & Physica, dum rerum aut vocũ inter se respectus seu rationes inquiruntur, illarũ mentio fiat. Consueuerũt namque, passim qui Philosophiam profitentur, discipulos interrogare siue de rebus sit sermo, siue de vocibus, quo relationis seu respectus genere se mutuò hæc vel illa respiciãt. Exẽpli caussa, quomodo se mutuò respiciãt, ensis & gladius: similiter, homo & animal: item bestia & animal bipes: denique anser & asinus. Sic Physici quærunt, quo relationis genere se mutuò respiciant atque inter se comparentur corpus naturale, & corpus physicum. Quomodo item materia in primo τῶν φυσικῶν, & caussa quam materialem vocant, in secundo. Quam rationem insuper habeat natura in secundo physicorum ad principium primũ rei naturalis in primo. Postremò quam inter se relationẽ habeant materia prima & forma substãtialis. Hic de quibusdã respondendũ est, ipsa esse synonyma: de nonnullis quòd sint magis & minus cõmune: de aliis quòd vt excedẽs & excessum se mutuò respiciãt: de reliquis quòd sint disparata, pro ratione significationis vocũ quæ in comparationem adducũtur.

14. sectio. Vox

Transcendens, Non transcendens.

Transcendens vox est, quæ decẽ prima rerũ genera sua significatione transcẽdit, & verè de qualibet re mũdi dici potest. Eiusmodi voces sex numero recenseri solent, videlicet, Ens, aliquid, res, vnũ, verum, & bonum: quia quidquid existit, est ens, est aliquid, est res, est vnũ,

est verum, est bonum. Valla tamen de Dialectica lib. 1. cap. 11. verbosè contẽdit, cõtra communẽ Dialecticorum sententiã, solũ vnũ esse transcẽdens, nempè (res:) verùm rationes quibus ad id probãdum vtitur, nõ sunt tanti momenti, vt propter eas ad aliquid de communi Dialecticorũ doctrina mutandũ, quisquam cogi possit.

Nõ transcẽdens, quã limitatã vocẽ appellãt, est quæ rem significat categoriæ cuiuspiam ambitu & limitibus definitam atq; circũmscriptam: vt, Homo, cãdor, linea.

Prodest ista diuisio ad quintuplicia vocum genera, de quibus scripsit Porphyrius, percipienda, & Aristotelis Categorias perfectiùs intelligẽdas: in quarum enarratione interpretes transcendentium vocum mentionem frequenter faciunt.

15. sectio. Vox

Finita, Infinita.

Vox finita est, quæ rem aliquam designans, non est ex negatione conflata: vt, Homo, terra, cælum.

Vox infinita est, quæ rem aliquam designat quidem, sed est ex negatione cõposita: vt, Non homo. Istud enim aggregatũ (nõ homo) infinitę est significationis, & verè dicitur de omnibus rebus in infinitũ, vno homine excepto. Sic lapis est nõ homo, lignũ est nõ homo, quantitas est non homo, &c. Itaque disiunctum ex nomine finito & infinito, dicitur de omni re mundi. Nam omnis rẽs est homo vel non homo, lapis vel non lapis, &c.

Plures voces infinitas expressit post Prophetam & Apostolus, vbi ait, Vocabo non plebem meam, plebem meã: & non dilectã, dilectam, &c. Ad æmulationẽ vos adducam in non gentẽ. Plato lõgè plures expressit hoc suo ænigmate, Homo nõ homo, vidẽs non videns, percussit non percussit, auem nõ auem, lapide non lapide, super

ſuper arbore nō arbore,&c. Hoc eſt (inquit Ludouicus Viues in Commentariis ad xxv.cap. libri vij. B. Aug. de ciuitate Dei) Eunuchus luſcus percuſſit pumice veſpertilionem ſuper ſambuco. De eodem agit & Marſilius Ficinus in argumento ſuo in quintum dialogum Platonis de Repub. qui habet, vir non vir percuſſit, &c. & auem nonauem, interpretatur alam veſpertilionis.

Rariùs quidem, ſed tamen, interdum eiuſmodi infinitis vocibus vtuntur ſcriptores Latini: vt Cic. in priore Academica, Nec verò aut quòd efficeret aliquid, aut quòd efficeretur, poſſe eſſe non corpus. Idem de Senectute, Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? Similiter Ouidius in primo Metamorph. de Io, *Poterat non vacca videri.*

PERORATIO AD DISCIPVLOS.

HÆc habuimus, ſtudioſi adoleſcentes, quæ de vocis diuiſionibus Prodidagmatis noſtris putaremus adiicienda. Reſtat nunc, vt hæc omnia boni conſulentes ex lucubrationibus vobis dedicatis, eum, quem ſpero, fructum, omni conatu atque diligentia percipere contendatis.

Etenim veſtræ vtilitatis gratia, cum noſtra interim iactura atque moleſtia non modica, hæc typis excuſa paſſi ſumus ſpargi in vulgus; cui ſatisfacere tam eſt difficile, quàm variis & moroſis palatis vnum condimentum attemperare.

Fuerūt iſta quidem ad colligendū laborioſa, neque minus ad digerendum tædioſa, præſertim in his in quibus verſamur, grauiſsimis Theologiæ ſtudiorū occupationibus, & hoc tempore quo decuiſſet argumentum amplius, & quo minùs noſtrum nomen in contemptus diſcrimen adductum fuiſſet, tractare: pro his tamen omnibus cumulatè mihi à vobis gratiam relatam exiſtimabo, ſi ſedulò dederitis operam, vt quā concepi de vtilitate ad vos reditura opinionem, veſtra diligentia confirmetis. Si verò quid-

piam parum excultum & elaboratũ in hac editione reperiatur, non est quod miremini. Poterã enim secundũ Flacci praeceptum hoc opusculũ crudum adhuc & immaturũ, in nonũ pressisse annum, ac toties interim texere ac retexere, vt fuerit forsan placiturum: sed hoc consiliũ per amicos, multis & precibus & rationibus editionem flagitantes, mihi sequi nõ licuit; vehemẽter enim me cõmonebant, cùm dicerent habendã esse rationem vestrorum commodorũ, omnẽ in hac re longiorem cunctationem ad vestrorum studiorum maximã iacturam redundare, & proinde maturandam esse editionem, qua & praeceptores dictandi taedio, & vos scribendi labore, in quo maiorem anni partem consumere alij solebant, leuaremini, & ita plus temporis, tum ad vestra studia augenda, tum ad exercitationes capiendas haberetis. Quae quidem rationes tanti apud me fuerũt momenti, vt editionem nondum satis limatã, cum meae existimationis periculo, accelerare; quàm mei nominis rationẽ cum vestrorum studiorũ retardatione, habere maluerim. Quale id sit quod praestitimus, aliorũ esto iudiciũ: Istud certè affirmare possumus, nos neq; laboribus, neq; sumptibus, quò vestram promouere possemus vtilitatẽ, pepercisse.

Index appendicis, in qua vocis diuisiones, earumque vsus explicantur.

		Signum		Tractatur pagina
1. *sectio.*	Notio,	Vox,	Scriptura.	69
2	Simplex,		Coniuncta seu oratio.	70
3	Categorematica,	Syncategorematica,	Mista	71
4	Vniuoca seu synonyma,	Aequiuoca seu homonyma.		72
5	Singularis,		Communis.	73
6	Primae intentionis,		Secundae intentionis.	77
7	Propriè sumpta,		Metaphorica seu translata.	78
8	Concreta,		Abstracta.	89
9	Relata,		Absoluta.	81
10	Reciproca,		Non reciproca.	81
11	Magis communis,		Minus communis.	81
12	Excedens,		Excessa.	82
13	Disparata,		Non disparata.	82
14	Transcendens,		Non transcendens.	83
15	Finita,		Infinita.	84

AVGVSTINI HVNNÆI EROTEMATA DE DISPVTATIONE, DIALECTICE RECTEQVE INSTITVENDA, VARIIS EXEMPLIS NVNC DEMVM LOCVPLETATA.

Libellus iis omnibus qui vlla de re siue publicè, siue priuatim ordine & perspicuè disputare volunt, in primis necessarius.

AVGV-

AVGVSTINVS HVNNÆVS VIRO IN PRIMIS RELIGIOSO AC DOCTO, SVO germano fratri, Domino Ioanni Hunnæo, monaſterij Boneffienſis Priori vigilantiſſimo, S. P. D.

QVANDOQVIDEM *hactenus ſemper tuam erga me beneuolentiam, germane frater, plurimis clariſſimisq; argumentis declaraſti; æquum arbitratus ſum, vt meum viciſſim maximum & planè fraternum amorem omnibus, qua poſſem ratione, teſtatum redderem. Et quia nihil in præſentia aliud occurrebat ad hanc officij noſtri partem explendam, Erotemata de diſputatione, dialecticè recteq; à litterarum ſtudioſis inſtituenda (quæ ſuccifiuis horis in breues, &, ni fallor, vtiles tabellas ad iuuentutis ſtudia promouenda digeſſeramus) tibi mittenda duximus. Non quòd his minutiis maiora tua ſtudia, negotiaq; ſeria, in quæ cum maximo eorum, quibus aliquot iam annos praes fructu, & ſingulari atque eximia tua laude incumbis, remorari velim; ſed vt iſtud ſit fraternæ noſtræ neceſſitudinis σύμβολον ac argumentum perpetuum. Vale mi frater.* IIII. *Kal. Iunias, ex Gymnaſio Caſtrenſi, Anno Domini ſupra millesimum & quingenteſimum quinquageſimo ſecundo.*

De

De disputatione.

CVM inter omnia Dialectici munia pręcipuũ sit argumẽtari, nec aliter argumentandi promptitudo, quàm frequenti defensionis & oppugnationis exercitatione, assiduoq; vsu comparetur; prudentissimè à maioribus est institutum, vt Philosophiæ destinata iuuentus statim à primis Logicæ rudimentis crebra exerceretur disputatione. Nam præcepta (vt omittamus quod sine exercitatione ne intelligi quidẽ satis queãt) adolescentibus viam tantùm ac rationem ostendunt ad artes perueniendi: vsus verò & exercitatio, quæ in omni sciẽtiarum genere maximè dominantur, artificem efficiunt.

Quare laudãda est in eo antiquitas, quòd vsum omnibus in rebus effectorem & magistrum præstantissimum esse semper iudicauerit: Rectéq; apud Gręcos celebratur illud μελέτη πάντα δύναται. Exercitationis enim tanta vis est & ἐνέργεια, vt naturam in Demost. & aliis iam olim vicerit, & hodie vincat in plurimis, eaq; reddat facillima, quæ natura videbatur negasse. quod Tibullus hoc disticho elegantissimè indicauit,

Longa dies homini docuit parêre leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Quæ cùm ita sint, seriò monendi sunt adolescentes, & frequenti cohortatione in eam sententiam inducendi, vt si ad vllius scientiæ perfectam solidamque cognitionem peruenire velint, persuasum sibi habeant, scientiæ ipsius præceptionibus vtcunque cognitis, diligentissimam in earum vsu ponendam esse operam.

Vt autẽ logicarum præceptionũ exercitationes faciliùs ab omnibus fieri queant, disputandíq; modus, qui passim apud omnes omniũ disciplinarum professores vsitatus est, etiam à Dialectices ignaris intelligatur; nos laudatissimam disputandi rationẽ ab omnibus in cele-

berrima hac Louanienſi academia obſeruatã,qua quid-uis dialecticè rectéque Oppugnari & Defendi poſſit, quàm pauciſſimis Erotematis abſoluemus.

Quid eſt diſputatio?

Diſputatio eſt diſceptatio de aliquo themate, quæ aut veritatis indagãdę,aut exercitationis capiẽdę cauſſa, à contrariis partibus ſuſcipitur: vt fit dum res quępiam vno oppugnante,altero verò defendente, exagitatur.

Quid eſt Thema?

Thema eſt defendentis aſſertio, ad cuius veritatem inquirendam aut patefaciendam diſputatio ſuſcipitur.

Cur inuenta eſt Diſputatio?

Vt veritas è tenebris & verborum inuolucris erui, in lucemq. produci poſſet. Omnis enim quæ rectè inſtituitur de re quapiam diſputatio, ex certis aut ſaltẽ probabilibus argumẽtis ad id quod in cõtrouerſia eſt, confirmendum aut cõfutandum progredi debet,vt ita veritas eluceat atque perſpicua euadat: homo enim ad acuendam mentem corporis mole preſſam examinandæ veritatis facultatem à Deo accepit,cuius functio Diſputatio nominatur. Nam quemadmodum vites & nuces putantur,argentum verò & aurum purgantur, abiectis inutilibus partibus: ita in examine illo & inquiſitione veritatis ſeu diſputatione,reiectis ex oratione tũ falſis, tum ambiguis & incertis,ad ea demum peruenitur, in quibus pura & clara relucet veritas. Argumentis verò rem obſcurare,ſophiſtarum proprium eſt, argumentatione diſputationeq. turpiter & perniciosè abutentiũ.

Certis ne diſputatur legibus?

Certis profectò: & ſunt complures, quarum aliquas recenſebimus.

PRIMA EST,

In diſputationibus voces ambiguas vitandas eſſe.

Diſpu-

Diſputaturi igitur in primis rem, quæ in diſputationem inciderit, verbis certæ ſignificationis comprehendant atq; deſignent, vocũ ambiguitatẽ omninò tollant: ne in media diſputatione (quod frequẽter accidit) à ſcopo diſputationis aberrent, & à rerum propoſitarũ inueſtigatione ad nugas aut inanẽ verborũ concertationem delabantur. Neque enim ſine cauſſa vulgò celebratus eſt iſte verſiculus, *Erroris mater fuit æquiuocatio ſemper.*

Proinde ſi inter diſputãdũ amphibolia aut homonymia fortè inciderit, quærendum erit ex eo qui eiuſmodi inducit ambiguitatẽ, qua ſentẽtia atq; ſignificatione ſua verba accipi velit, vt qui reſpõſurus aut contradicturus eſt, certã aliquã habeat ſentẽtiã, ad quã reſpicere, & ſuã reſponſionẽ vel argumentationẽ accommodare poſſit; alioquin niſi ſtatim tollatur orationis ambiguitas, maximas (vt modò diximus) offundet diſputationi tenebras, & eam lõgiſſimè à ſuo ſcopo frequenter abducet.

SECVNDA.

Nec quod manifeſtè verum eſt, temerè oppugnandum; nec quod apertè falſum eſt, pertinaciter defendendum eſſe.

Aſſerit Quintilianus culpã præſertim cõuictam pertinaciter tueri, culpã eſſe alterã: Et haud dubiè errorem errori accumulat, quiſquis manifeſtũ errorem nõ confitetur. nam vno abſurdo conceſſo, errores accidunt cõplures, vt in Phyſicis frequẽter inculcat Ariſtot. Satius itaq; eſt, errore lapſum palinodiã ſtatim canere, quàm falſum obſtinatè & imprudenter defendendo ex vno in alios permultos grauiſſimosque prolabi errores.

Contra manifeſtam autẽ & apud nullos controuerſam veritatẽ otiosè diſputare, pernicioſum videtur: ne ſi iocus nunc ſit, in rem aliquando exeat ſeriam. Nemo igitur verum temerè labefactando, aut falſum mordicus defendendo, ingenioſus aut doctus videri ſtudeat.

TERTIA.

TERTIA.

Sedato atque sereno animo, nullisq́ prauis affectibus perturbato, disputari oportere.

Experimur, perturbatis ira, aut simili affectione mala animis, quendam rationi quasi fumum offundi, quo veritatis perspiciendæ facultas aut tollitur omninò, aut magna ex parte minuitur: adeò vt qui hoc malo laborant, neque quid obiiciendum sit, neque quid respondendum, in disputationibus videre queant.

Vtilissimum ergo fuerit, vehementiùs vrgente quopiam, vel etiam insolentiùs altercante, prorsus animo non commoueri, aut paucis eum vt sophistam & ad disputationem minùs idoneum amoliri. Oportet enim hîc non clamoribus agere, sed circumspecto & sedato vti iudicio, remotoq́ue altercandi studio, & omni vitiosa affectione abdicata, solam veritatem rationemq́; spectare atque sequi.

QVARTA.

In omni disputatione quid in controuersiam vocetur, ante omnia diligenter esse considerandum.

Id enim in disputando præcipuum est, videre quid sit controuersum, & quid in quæstionem vocetur: alioqui sæpius temerè litigare atque multa vltrò citroq́ue verba ridiculè disputãtes iactare continget. Quod non rarò in disputationibus euenire videmus, dum alter quidem cælum agitari ait, alter terram in mundi medio quiescere, euincere conatur: & qui de alliis est interrogatus, vt in prouerbio est, de cepis respondet.

Quot ad disputationem sunt necessarij?

Duo { Oppugnans, & Defendens.

DE OPPVGNANTE, EIVSQVE OFFICIO SEV PARTIBVS.

Quæ sunt oppugnantis partes in disputatione?

Istæ sunt Oppugnantis partes, { Argumentum contra defendentis thema inuenire, idque obiicere. Quod à defendente negatum est, probare. Solutionē defendētis primū repetere, & mox alia obiectione (si aliqua ex parte nō satisfaciat) oppugnare.

Quod est præcipuum disputationis instrumentum?

Argumentatio, sine qua nihil infirmari aut confirmari potest.

Quam vocas argumentationem?

Orationem compositam ex antecedēte, consequente, & nota, vt vocant, illationis: vt cùm dico, Plato est homo, ergo Plato est animal; tota hæc enuntiatio coniuncta, argumentatio nominatur, cuius antecedens est (Plato est homo,) consequens (Plato est animal;) illationis verò nota coniunctio (ergo.) Item hæc est argumentatio in Miloniana Ciceronis, Quisquis vim vi repellit, iustè facit; Milo occidens Clodium, vim vi repellit: ergo Milo Clodium occidens iustè fecit. cuius partes facilè quiuis ex superiori exemplo agnoscere potest.

Quid vocant illationis notam?

Coniunctionem, qua vna enuntiatio ex altera sequi denotatur.

Quotuplex est eiusmodi coniunctio, quæ vnius enuntiationis ex altera denotat consecutionem?

Triplex:

Causalis, Condicionalis, Rationalis.

Quæ quotiescunque coniungunt enuntiationes, argumentationē efficiūt. Ferè tamē in scholastica disputatione (ad quā potissimū studiosos hoc libello munimus) vtimur rationali coniunctione (ergo) vel (igitur.)

Quid

Quid est Antecedens?

Est enuntiatio quæ alterius probandæ caussa profertur: cuiusmodi in superiori exẽplo est ista, Plato est homo. Cæterũ eiusmodi enuntiatio ob id secundũ quosdam Antecedẽs nominatur, quòd illationis notam antecedat: verùm perfectam nõ esse hanc nominis rationem, euidẽs est in argumẽtationibus, quæ vulgò Condicionales & Caussales dicuntur, in quibus antecedens notam illationis situ non antecedit: vt ex his exemplis perspicuũ est, Si non sanetur animus, nullus vnquã erit miseriarũ finis: Moriendũ illi fuit, quoniã homo natus erat. Dicemus igitur potiùs, eam argumentationis partem in qua probãdi vis continetur, appellari antecedẽs, quòd loco quidẽ sæpissimè, natura verò semper cõclusionem antegrediatur: postulat enim ordo naturalis, vt quod ad alterũ illustrandum atq; probandum adhibetur, id prius sit considerandum atque cognoscendum.

Quotuplex est Antecedens?

Duplex {
- Nonnunquam est vnica enuntiatio: vt in Enthymemate semper euenit, in Exemplo frequenter.
- Nonnunquam ex pluribus constat enuntiationibus: vt fit in Syllogismo, & Inductione perfecta.

Quid est Consequens?

Est enuntiatio quæ ex alia infertur.

Dictum est Consequens, quòd illationis notam sequatur, saltem natura. Aut illationis nota prætermissa, melius dixerimus, Consequens esse eam enuntiationem, cuius probandæ caussa alia profertur.

Quid est Enuntiatio?

Enuntiatio est oratio vera aut falsa: vt, Plato est philosophus.

Quotuplex est Enuntiatio?

Duplex {
- Categorica, seu simplex:
- Hypothetica, seu Coniuncta.

Con-

Coniuncta enuntiatione nunc omissa, enumera partes Categoricæ.

Tres sunt partes Categoricæ enuntiationis.

Subiectum,	Copula,	Attributum.
Plato	est	Philosophus.

Quid est Subiectum?

Subiectum est ea enuntiationis categoricæ pars, quæ alio nomine Suppositum à Grammaticis appellatur.

Quid est Copula?

Copula est verbum substantiuum tacitè vel expressè in omni enuntiatione categorica positum ad eius partes inter se connectendas.

Quid est Attributum?

Attributũ est illud, quod cũ subiecto cõnectit enuntiationis copula. Quorum omnium exẽpla in simplici enuntiatione modò posita facilè quiuis cernere potest.

DE DEFENDENTE EIVSQVE PARTIBVS.

Quæ sunt partes eius qui rem aliquam in disputatione defendendam suscipit?

Partes eius sunt,
- Totam thematis sui naturam perspectã habere, ac difficultates eius omnes, priùs quàm in arenã descendat, diligẽter excussisse, & quid in iis sequẽdũ sit, statuisse.
- Attento & præsenti semper animo cõsiderare, quid susceperit defendendum, & quid contra obiiciatur, & an hoc cum eius themate pugnet nec ne.
- Postremò quicquid obiectum erit, repetere aliquoties, ac tum demum post maturam eorum quę obiiciũtur, considerationem & perspectionem respondere.

Quomodo facienda est repetitio?

Repetenda sunt bis tèrue omnia perfectè (quantum fieri potest) nimirum & eadem verba, & eodẽ quo à cõtra disputante proponuntur ordine; idq. animo alacri & clara voce: præsertim antequam tyro assueuerit scholasticis disputationibus. Nam vbi vsu doctior euaserit, aut quęstio fuerit facilior, vnica suffecerit repetitio, modò,

dò, vt iam monuimus, illa ſit clara & perfecta: quæ quidem repetitio eſt tanti momenti, vt non immeritò dictum ſit: Bene fideliterque repetitam argumẽtationem bona ex parte diſſolutam eſſe, ſecundum illud,

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Ridiculum eſt, & ab ingenua indole alienum, inter repetendum quidquam propoſitæ ſententię vel adimere vel addere, vt oppugnans à recto tramite (quod Sophiſtæ facere ſolent) abducatur. Sicut & illud eſt, amplius quàm oporteat, aut aliter quàm rogaris reſpondere. De qua aſtutia fusè agitur apud A. Gell. Noct. Attic. lib. 16. ſecundo capite.

Cur ita repetendum eſt?

Quia quemadmodum præcipitis conſilij, pœnitentia; ita nimis acceleratæ reſponſionis error comes eſſe ſolet. Quod malum cauetur, dum tempus ad eorum quæ obiiciuntur, maturam conſiderationem, prudentemque diſſolutionem neceſſarium, per repetitionem accipitur. Præterea etiam hoc commodum affert diligens repetitio, vt ſi quid fortè à reſponſuro minùs eſſet intellectum, id per repetitionem animaduertat primum obiiciens, deinde reſpondentem ad veram obiectionis intelligentiam deducat. Quocirca iuniores diligenter ſe in hac repetendi conſuetudine exercere debent, ſine qua diſputationis perſpicuitas & ordo conſtare non poteſt. Cæterùm quòd inter repetendum aut amoris aut honoris compellationes obſeruari debeant, veluti, Sic argumentaris eruditiſſime domine, &c. vel (Colonienſi more) Sic argumentatur dominus Logicus, vel dominus Baccalaureus, vel eruditus dominus Magiſter, vel eruditiſſimus dominus Doctor, & ſimiles, notius eſt quàm vt hoc loco ſit monendum.

Quot

Quot modis facta iam repetitione respondere licet?

Tribus modis,
- Distinguẽdo,
- Concedẽdo,
- Negando,

si
- Multiplicia sint ea quę obiiciũtur, & ex parte vera, & ex parte falsa,
- Nihil obsint proposito.
- Vitium aliquod sit in
  - Materia,
  - Forma, vel
  - vtroque simul.

& Ad tria:
- Antecedens,
- Consecutionem,
- Assumptum.

Quando dicitur vitium esse in materia?

Cùm falsi quippiam continet Antecedens.

Quando dicitur forma esse vitiata?

Cùm debita argumentandi ratio non est obseruata. Quæ autem illa sit, ex Aristotele petendum est, & præsertim ex iis libris qui Priora analytica inscribuntur. Nos quoq. huius rei declarationẽ & exempla in nostris Dialecticis libro quarto, vbi de argumentatione & syllogismo agitur, abundè tradidimus: habes insuper exẽpla præsentis distributionis plurima libro quinto, circa definitionem syllogismi litigiosi siue contentiosi: ac denique in toto tractatu solutionis generalis libro sexto.

Quando dicitur vtraque & materia & forma vitiũ habere?

Cùm & antecedens à veritate, & consecutio à legitima argumentandi forma deflectit: vt fit in ista falsa & absurda ratiocinatione, Nullus homo visu caret, igitur nullum animal est visu priuatum.

Quid est negare antecedens, & quid in eo negando animaduerti debet?

Negare antecedens est asserere ipsum esse falsum.

Obseruandũ autẽ diligenter, quando Antecedens plures habet partes: vt
- Si prior sit vera, posterior autẽ falsa, dicat defendens, Nego posteriorem partem Antecedentis.
- Si posterior sit vera, & prior falsa, dicat, Priorem Antecedentis partem nego.
- Si totum Antecedens falsum sit, absolutè dicat, Nego antecedens.

Quid est antecedens concedere?

Est ipsum tanquam verum recipere seu approbare.

Quid distinguere antecedens?

Est antecedentis multiplicē significationem siue sententiam aperire,& in certas partes distribuere,singulisque partibus suam accōmodare responsionem. Quod tunc præcipuè faciendū est,quando antecedētis aliqua pars ambigua est,ita vt si vno sensu capiatur, vera; sin autē alio,falsa sit iudicanda: veluti si in aliqua argumētatione antecedentis loco positū esset istud oraculum,

Perdet Crœsus Halyn transgressus plurima regna.

quia dubiū & multiplex est,distinctione egeret. In primis enim potest participium (transgressus) vel cum accusatiuo antecedente,vel cum sequente cōiungi. Vnde magna sententiæ diuersitas nascitur. Præterea verbum (perdet)orationem reddit ambiguam, quod vel vastationē,vel amissionē significare possit:quæ res nō modò diuersum,sed etiā cōtrarium orationis sensum inducit.

Similiter hoc pronuntiatū,Canis est animal, distinguitur,cùm dicimus,Si eius subiectū capiatur pro cane marino,vel domestico.ipsum esse verum:sin autem pro cane cælesti,pro quodā videlicet sidere, qui Sirius alio nomine dicitur,falsum esse & negandū. De distinctione multiplicium pulchrè Aristot. disserit sub finem libri 1.Topic.& clarissimè atque pulcherrimè in octauo Topic.cap.tertio,& aliis compluribus locis.

Hactenus de responsione ad antecedens.Eodē prorsus modo ad assumptum(vt nostræ scholæ vocāt) institui debet responsio,ipsum videlicet cōcedendo, vel negando,vel distinguendo,prout ratio postulabit: nā verū concedere, falsum negare, & multiplex distinguere oportet. Assumpti autem nomine intelligunt hoc loco Dialectici nostri enuntiatū nudè sine vlla consecutionis

nota,

nota, in aliqua disputatione prolatum. Et vt hoc quoq; obiter addam: Ea enũtiatio dicitur vera, quæ vt res est, ita significat: vt, Æthiops est niger. Falsa, quæ aliter, quàm res se habet, significat: vt, Æthiops nõ est niger.

DE DEFENDENTE RESPONSVRO AD CONSECVTIONEM.

Quot modis licet defendenti ad consecutionem respondere?

Tribus;

Negando consecutionem, Concedendo, Distinguendo.

Quid est negare consecutionem?

Est asserere consequens cum suo antecedente non necessariam habere connexionem. Caueat summoperè qui rem aliquam in disputatione defendit, ne vnquam dicat, Nego consequens: nam si consequens falsum sit, antecedente vero, neganda est consecutio: si verò consequens falsum sit, antecedente quoque existente falso, negandum est antecedens.

Quid est consecutionem concedere?

Est eam tanquam firmam & legitimam approbare.

Quid est distinguere consecutionem?

Est consecutionem propter accidentem ei aliquam varietatem, ostendere aliqua ratione firmam, & aliqua ratione infirmam esse: vt si quis ita argumentetur, Nullum animal est sidus, ergo canis nõ est sidus; sic facienda est distinctio: Si in consequente sumatur (canis) pro sidere cælesti, consecutio haud dubiè est infirma: sin pro cane domestico, vel marino accipias, est firma.

Verùm vt quæ de responsione ad consecutionem diximus, faciliùs percipiat iuuentus, quædam ad huius rei latiorem declarationem addemus.

Consecutio, vt superiùs est indicatum, nihil aliud est, nisi certa quædam consequentis cum antecedente connexio seu cohærentia: quæ sic diuiditur.

Consecutio { Legitima, { Necessaria, Verisimilis. } Vitiosa. }

Legitima consecutio est, quando inter antecedens & consequens talis est cohærentia atque colligatio, vt antecedentis veritatem vel necessariò, vel saltem probabiliter consequentis veritas comitetur. Quæ verò talis non est, vitiosa est iudicanda.

Necessaria dicitur cōsecutio, cùm antecedēs & consequens tam arctò inter se vinculo colligata sunt, vt antecedens nec esse, nec fingi verū possit sine consequēte: cuiusmodi est in ista argumentatione: Omne vitium est detestandum, igitur omnis ebrietas est detestanda.

Verisimilis est, in qua consequens, licet nō necessariò antecedenti cohæreat, ferè tamen comitatur: vt, Hodie sunt encænia, multi ergo erunt ebrij. Sed hæc pro loci præsentis ratione ita attigisse sit satis. Nam perfecta harū rerū tractatio nō ad nostrū institutū, sed ad eorū qui vniuersam Dialecticā explicandā susceperunt, pertinet.

Vitiosas igitur consecutiones negamus semper: legitimas verò concedimus: sicut veras enuntiationes diximus concedendas, falsas semper reiiciendas.

Profer exemplum eius disputandi rationis, quæ hactenus est declarata, vt ab omnibus hæc doctrina de disputatione dialecticè instituenda faciliùs percipiatur.

THEMA.

Omnes sapientes sunt liberi; & stulti omnes serui.

Hoc in Paradoxis Rhetoricè tractat Cicero: nos Dialecticè scholarum more tractabimus.

OPPVGNANS.

Sic argumentor: Complures sapientes aliis seruiuisse memoriæ proditum est, vt Xantho seruiuit Æsopus, & alij aliis, ergo non omnes sapientes sunt liberi.

DEFENDENS.

Sic argumentaris: vel more COLONIENSI in tertia perſona, *Sic argumentatur Dominus.* vel, *Sic argumentatur eruditus Magiſter*, ſeu *doctiſſimus dominus Doctor*: vel etiam aliter, pro dignitate eius perſonæ quæ argumentatur, & conſuetudine illorum apud quos argumentatio inſtituitur (quam honorificæ & amicæ compellationis varietatem, inter diſputandum diligenter obſeruãdam, in reliquo iſtius diſputationis progreſſu, breuitatis cauſa non repetemus quidem; magnam tamẽ eius in omni diſputatione habendam eſſe rationẽ cenſemus:) Complures ſapientes aliis ſeruiuiſſe memoriæ proditum eſt, vt Xantho ſeruiuit Æſopus, & alij aliis, ergo non omnes ſapientes ſunt liberi. *Sic argumentaris*: Complures ſapientes aliis ſeruiuiſſe &c. Vbi bis térve totum repetiuerit, dicat: Nego conſecutionem.

OPPVGNANS.

Probo conſecutionem: Nam qui aliis ſeruiunt, liberi dici non poſſunt. *Solutio.* DEFENDENS.

Sic probat Dominus conſecutionem: Qui aliis ſeruiunt, liberi dici nõ poſſunt. Sic probas conſecutionem: Qui aliis ſeruiunt, &c. facta ad hunc modum bis térve legitima repetitione, dicat: Diſtinguo quod aſſumpſiſti: nam ſi lòquaris de libertate corporis, verum eſſe concedo; ſin autem de libertate animi, nego aſſumptum.

OPPVGNANS.

Probatur aſſumptum: quia libertas, teſte Cicerone, eſt poteſtas viuendi vt velis; qui autem ſeruit, non poteſt viuere vt vult, ergo nullam habet libertatem neque corporis neque animi.

Solutio. DEFENDENS.

Contra ſolutionẽ meã ſic argumentatur Dominus: Libertas, teſte Cicerone, eſt poteſtas viuendi vt velis; qui autẽ

 ſeruit,

seruit, nō poteſt viuere vt vult, ergo nullam habet libertatem neque corporis neque animi. Libertas, teſte Cicerone, &c. facta repetitione, vti antè monuimus, dicat: Nego ſecundam partem antecedentis. Sapiēs namque, tametſi ſit in alterius poteſtate, nihilominus tamen viuit vt vult; quia nihil vult niſi quod recta ratio dictat, & quod temporis condicio eum facere ſinit.

OPPVGNANS.

Dicit mihi D. Sapientem, licet in aliena ſit poteſtate, nihilominus tamen ita vt vult viuere, eò quòd in id ſolùm quod recta ratio dictat, & temporis condicio ſinit, illius voluntas feratur. Contra hoc ſic argumētor: Non omnes ſapientes appetitiones ſuas ratione moderantur, igitur malè in tua ſolutione poſitum eſt, in id ſolum quod recta ratio dictat, ſapientis voluntatem ferri.

DEFENDENS.

Contra ſolutionem meam ſic D. argumentatur: Non omnes ſapientes appetitiones ſuas ratione moderātur, igitur malè in mea ſolutione poſitū eſt, in id ſolum quod recta ratio dictat, ſapientis voluntatem ferri, &c. Non omnes ſapientes, &c. Poſt huiuſmodi repetitionem vnam atque alteram dicat, Nego antecedens.

OPPVGNANS.

Perſpicuum eſt antecedens; quia nōnulli ſapiētes nō refrenant libidines, non ſpernūt voluptates, non iracundiā tenent, nō coërcent auaritiā, nō cæteras animi labes repellunt; ergo appetitiones ſuas ratione nō moderātur.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probat D. antecedens, Quia nonnulli ſapientes, &c. quo bis térve clarè & perfectè repetito, dicat, Nego antecedens; & ratio eſt: nam qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare, non ſapiens eſſe, ſed pernicioſa inſipientia laborare, iudicandus eſt.

Oppugnans.

Sic soluit D. argumentum, Qui nō potest cupiditatibus suis imperare, nō sapiens esse, sed perniciosa insipientia laborare iudicandus est. Contra hoc sic argumētor: Ab omnibus habiti sunt sapientes, qui tamē cupiditatibus suis non imperarunt, ergo non rectè dicis, in omni sapiente rationē imperare atque dominari voluptatibus.

Defendens.

Sic argumentatur D. Ab omnibus habiti sunt sapientes, &c. Iterata aliquoties oppugnantis ratione negabit antecedens.

Oppugnans.

Probatur antecedens. Quia magni illius Alexandri præceptor (quem sapientum ac philosophorum omnium post Platonem faciunt principem) Aristoteles, & cum eo alij complures magni nominis philosophi, maximis probris & vitiis sunt notati.

Defendens.

Sic probat D. antecedēs, Quia magni illius, &c. post legitimā repetitionē, dicat, Nego id verū esse quod assumis.

Oppugnans.

Hoc referunt historiæ.

Solutio. Defendens.

Non omnibus est adhibenda fides historiis: si quidē constat, nōnullos per maleuolentiam & inuidiā laudes præstantissimorum virorum fuisse insectatos. Fateor nihilominus eos qui morum improbitate vitā suā contamināt, siue philosophi sint, siue alio titulo illustres viri, non esse inter liberos, nedū inter sapientes numerādos, quantumcunq. speciosis nominibus vulgò sese venditent: cùm nulla maior aut grauior seruitus excogitari queat, quàm qua animus vel libidinis illecebris, vel auaritiæ, aut crapulæ, aut aliis sceleribus seruit. Nec pro-

priè ſapientes dici poterant, quos tradidit Deus in cupiditates ignominioſas: quippe qui ſapientiam profeſſi, ſtultitiam ſuam prodiderunt: vt eſt apud Paulum ad Rom. 1. cap. In his enim omnibus non vera & genuina fuit ſapientiā, ſed fucata quædam & adulterina illius ſpecies atque ſimulatio.

ALIVD EXEMPLVM EX ETHICIS ARIST.

Sit in medium producta illa Ariſtotelis ſententia, qua ait in 3. Ethic. Bruta animantia non delectari obiectis viſus, olfactus, vel auditus, niſi fortuitò, quatenus ſcilicet illa referuntur ad obiecta tactus, vel guſtus; ita licebit diſputando veritatem eius exquirere.

OPPVGNANS.

Sic argumentor: Canes etiam cibo & potu pleni, nulla neq. fame neq. ſiti laborātes, delectātur præſentia & aſpectu ſuorū dominorum; igitur eſt aliqua voluptas in brutis animantibus ex obiecto viſus nō relato ad guſtus vel tactus obiectum.

DEFENDENS.

Sic argumentatur Dominus: Canes etiam cibo & potu pleni, nulla neque fame neque ſiti laborantes, &c. Nego conſecutionem.

OPPVGNANS.

Probatur conſecutio: Quia voluptas quā percipit canis cibo & potu plenus ex conſpectu domini, eſt voluptas percepta ex obiecto viſus, nullo modo ad obiectum guſtus vel tactus relato.

DEFENDENS.

Sic probat D. conſecutionem: Voluptas quam percipit canis cibo & potu plenus ex conſpectu domini, &c. Nego aſſumptum.

OPPVGNANS.

Probatur aſſumptum: Canis eo tempore nō appetit cibum neque potum, imò nec ſi præſens adeſſet, eo delectaretur;

ctaretur; ergo multo minùs est probabile, quòd propter absentem delectetur.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probat D. assumptum: Canis eo tempore non appetit cibum neque potum, &c. Nego firmam esse consequentis cum antecedente connexionem: & ratio est, quia tametsi canis eo tempore non desideret cibum vel potum, tamen illam delectationem quam percipit ex præsentia domini, non propriè efficit color vel figura domini, quæ sunt obiecta visus, sed potius recordatio cibi vel potus aliquando à domino accepti, & ita ista delectatio canis non est purè ex obiecto visus, sed est ex eo quatenus ad obiectum gustus vel tactus refertur.

OPPVGNANS.

Dissoluit D. obiectionem, asserens eã delectationẽ, quã percipit canis ex præsentia domini, non propriè effici à colore vel figura domini, quæ sunt, &c. Cõtra istã solutionem sic argumentor: Auctor est Cicer. in Offic. hoc inter hominẽ & belluã interesse, quòd bellua ad id tãtatum quod præsens est, sese accõmodet; homo verò cõsequentia & præterita cernat: igitur non rectè dixisti in tua solutione, canẽ delectari præsentia domini, nõ propter colorem aut figuram eius, sed magis propter recordationem cibi vel potus aliquando ab ipso accepti.

DEFENDENS.

Sic argumentatur D. contra meam solutionem: Auctor est Cic. in Offic. hoc inter hominem & belluam interesse, quòd bellua ad id tantummodò quod præsens est, sese accommodet, &c. Nego consecutionem.

OPPVGNANS.

Probo cõsecutionẽ: Nã si bellua tantũmodò prȩsentibus obiectis moueatur, necessariò sequitur, illam ex rebus præteritis nullam posse delectationem percipere.

DEFENDENS.

Sic probat D. consecutionem, Si bellua tantummodò præsentibus obiectis moueatur, necessariò sequitur illā ex rebus, &c. Cōcedo tibi istā conditionalem ratiocinationem. OPPVGNANS.

At Cicero cùm dixit belluam se tantummodò ad id quod præsens est accommodare, nihil aliud significare voluit, quàm belluam præsentibus tantummodò obiectis moueri.

DEFENDENS.

Sic assumit D. At Cicero cùm dixit belluam se tantúmodò ad id quod presens est accommodare, nihil aliud significare voluit, quàm, &c. Nego assumptum.

OPPVGNANS.

Assumptum clarum est: nam hæc idem valent, eandemque planè vim habent, belluam ad id quod præsens est tantummodò se accommodare, & belluam præsentibus tantummodò obiectis moueri.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probat D. assumptum: Hæc idem valent, eandemq. planè vim habent, belluam ad id quod præsens est tantummodò, &c. Nego ista eadē esse: nā præter experientiam, quæ eiusmodi sententiæ repugnat, ipsius etiam Ciceronis verba, quæ post locum iam citatū cōtinenter ponuntur, declarant illius dictum tali sensu accipi non debere: dicit enim de bellua loquens, paululum admodum sentiens præteritum & futurum; itaque non negat Cic. brutis animantibus inesse recordationem & memoriā rerum antè perceptarum, sed eam, si cum hominis memoria & recordatione conferatur, tenuē & perexiguā videri affirmat. & ita planum est, Ciceronis doctrinam non modò non labefactare, sed etiam stabilire & confirmare solutionem paulò antè à nobis datam.

Aliud

Aliud exemplum, in quo eadem Aristotelis sententia de brutis animantibus oppugnatur. OPPVGNANS.

Contra illam partē sententiæ Aristotelicæ, in qua dicitur, bruta animantia nō capere voluptatē ex obiecto auditus, nisi quatenus refertur ad obiectum gustus vel tactus; sic argumētor: Auiculæ suauitate cantus sese mutuò delectant, idque maximè ventre iam pleno, & nihil requirente: igitur aliqua est delectatio brutis animantibus ex obiecto auditus non relato ad gustū vel tactum.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Auiculæ suauitate cantus sese mutuò delectant, &c. Nego consecutionem.

OPPVGNANS.

Consecutionem probo: Ista oblectatio ex cantu percepta oritur ex obiecto auditus, quod nullo modo referri potest ad obiectum gustus vel tactus: igitur aliqua oblectatio est brutis animantibus ex obiecto auditus non relato ad gustum vel tactum.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas consecutionem: Ista oblectatio ex cātu percepta, oritur ex obiecto auditus, quod nullo modo referri potest ad, &c. Nego eā partē antecedentis, in qua dicis, suauitatem cantus, qua delectātur auiculę, nullo modo posse referri ad obiectū gustus vel tactus: nam Physici docēt sæpenumerò auiculā auiculæ cātu ob id delectari, quòd per eum aut præteritę rei venereæ memoria renouetur, aut futuræ imaginatio cōmoueatur: & ita suauitas cantus aliquo modo referri potest ad obiectum tactus. OPPVGNANS.

Dissoluis obiectionem auctoritate Physicorum asserentium sæpenumerò, &c. & ita suauitate, &c. referri ad obiectum, &c. Contra hoc ita argumentor: Experientia docet, auiculam suo ipsius cantu delectari: vt de

philo-

philomela, sturnis, alauda, & similibus perspicuum est.

DEFENDENS.

Concedo verè ista dici.

OPPVGNANS.

Sed illa delectatio nullo modo referri potest ad obiectum tactus vel gustus: igitur saltem in his conspicitur falsitas dicti Aristotelici. DEFENDENS.

Sic argumentaris: Illa delectatio nullo modo referri potest ad obiectũ tactus vel gustus, &c. igitur saltem in his conspicitur falsitas dicti Aristotelici. Nego consecutionem. OPPVGNANS.

Probatur consecutio, quia concedis aliqua esse bruta animantia, quæ delectationẽ percipiunt ex obiecto auditus, nullo modo ad obiectũ tactus vel gustus relato.

DEFENDENS.

Probas consecutionem, per hoc quòd concedo aliqua esse, &c. verum est id à me concedi.

OPPVGNANS.

Ergo falsum est quod ait Aristoteles, bruta animãtia nõ capere delectationẽ ex obiecto auditus, nisi fortuitò, hoc est, nisi referatur ad obiectum gustus vel tactus.

Solutio. DEFENDENS.

Sic concludis, Ergo falsum est quod Aristoteles ait, bruta animantia, &c. Nego consecutionem: & ratio est, quia dictum Aristotelis non est vniuersè, sed de parte duntaxat accipiendum, vt hæc sit eius sententia, Plæraque esse bruta animantia, quæ nullam percipiunt voluptatem ex obiecto auditus, nisi quatenus refertur ad obiectum tactus vel gustus: esse quidem nonnulla quæ obiecto auditus per se delectentur, sed ea perpauca, si cum multitudine aliorum conferantur, videri: & ita nulla est dicti Aristotelici cũ eo quod modò à nobis concessum est, repugnantia.

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM.

Sit hoc thema propositum: *Dialecticæ studium vtile est illi qui ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis aspirat.* Ad hunc modum Dialectica disputatione eius veritatem exquirere licebit.

OPPVGNANS.

Sic argumentor: Nihil potest dici vtile quod detrimentum affert, ergo non rectè dicis, Dialecticæ studium ei vtile esse, qui ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis aspirat.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Nihil potest dici vtile quod detrimentum affert, ergo non rectè dico, &c. Nego istam consecutionem esse legitimam.

OPPVGNANS.

Probo consecutionẽ esse legitimam: nam addita enthymemati assumptione, efficitur legitimus syllogismus secũdũ modũ Ferio; hic videlicet: Nulla res quę alicui noxia est, potest dici eidẽ vtilis; at Dialecticæ studiũ noxiũ est ei qui ad aliquã excellẽtiam in superioribus disciplinis aspirat: ergo Dialecticæ studiũ ei vtile dici non potest.

DEFENDENS.

Probas consecutionem esse legitimam, per hoc, quòd addita enthymemati assumptione, efficitur legitimus syllogismus secundum modum Ferio, hic videlicet, &c. Nego assumptionem istius syllogismi.

OPPVGNANS.

Assumptionem probo: Dialecticæ studium retardat cognitionem superiorum disciplinarum; igitur non est vtile ad magnos progressus in illis disciplinis faciẽdos.

DEFENDENS.

Sic probas assumptionẽ, Dialecticæ studium retardat cognitionẽ superiorũ disciplinarũ, &c. Nego antecedens.

OPPV-

OPPVGNANS.

Antecedens manifestum reddit experientia: videmus enim illos qui Dialecticæ dant operam, serius venire ad studium sublimiorum scientiarum.

DEFENDENS.

Probas antecedens experientia, qua videmus illos qui Dialecticæ dant operam, &c. Concedo id experientia notum esse. OPPVGNANS.

Sic argumentor: Qui Dialecticæ dant operam, seriùs accedunt ad studium sublimiorũ scientiarum, vti concedis; igitur tardiùs illarum cognitionem percipiunt.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Qui Dialecticæ dant operam, seriùs accedunt ad studium, &c. Nego consecutionem.

OPPVGNANS.

Consecutio probatur, quia seriùs accedere ad aliquam disciplinam, & tardiùs eius cognitioně percipere, sunt caussa & effectus tam arcto inter se deuincta nexu, vt vbi est vnum, alterum quoque adesse sit necessarium.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas consecutionem, Seriùs accedere ad aliquam disciplinam, &c. Nego assumptum: & ratio est, quia sæpenumero videmus ista à se inuicem separari: contingit enim non rarò, vt qui præcipitato studio & illotis (vt aiunt) manibus ad aliquam disciplinam accedũt, seriùs aut potius nunquam veram eius cognitioně assequantur: & è diuerso, vt qui fundamentis firmiter iactis, & iis artibus quæ lucem subministrant ad futura studia, maiori cum certitudine tractanda probè perceptis, seriùs ad disciplinas superiores accedunt, illas & perfectiùs & breuiori tempore percipiant: in quorum numero sunt qui Dialectices scientia instructi, ad superiorum disciplinarum studium sese conferunt.

OPPV-

Oppugnans.

Soluis argumentationem, dicens, Ista duo seriùs accedere ad disciplinam aliquam, & seriùs eius cognitionem percipere, sæpenumerò à se mutuo separari, & eos qui fundamẽtis alicuius disciplinæ firmiter iactis, ad illam (licet seriùs) accedunt, citiùs tamen ipsius cognitionem percipere. Contra istam solutionem ita argumẽtor: De Dialectica dici non potest, quòd sit fundamentum superiorum disciplinarum, neque quòd ad illas faciliùs intelligẽdas lucem subministret: igitur nulla caussa est, cur eius studium aspiranti ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis vtile dici possit.

Defendens.

Contra meam solutionem ita argumentaris: De Dialectica dici nõ potest, &c. Nego secundã partẽ antecedentis.

Oppugnans.

Probo secundam partem antecedentis: Nam Dialectica scientia est à cæteris separata, & longè alias res tractat, quàm quæ sublimioribus disciplinis sunt subiectæ.

Defendens.

Sic probas secundã partem antecedentis, Dialectica scientia est à cæteris separata, & longè, &c. Concedo id totum esse verum.

Oppugnans.

Si istud verum est, igitur dici non potest, quòd Dialecticæ studium vel stabiliat vel adiuuet superiorum disciplinarum cognitionem.

Solutio. Defendens.

Sic argumentaris: Si istud verum est, dici non potest, quòd Dialectices studium vel, &c. Nego firmã esse istã consecutionẽ: quia sæpe cõtingit, vt res alioquin seiunctissimæ, sibi mutuò opitulẽtur: neque enim rerum diuersitas impedit, quominus altera alteri adminiculo

esse

esse possit: veluti ars frena cõficiendi, distincta quidem est ab arte equestri, non potest tamen hæc sine illius adminiculo consistere: similiter ædificandi ars seiūcta est ab arte ferraria, nõ potest tamen illa sine hac, à qua sua instrumenta accipit, suo munere fungi: ad eūdem modum de Dialectica & superioribus disciplinis est iudicandum, diuersitatem quidem esse inter illas maximã, ita tamen naturam earum comparatam esse, vt neque veritatem, quam profitentur, facilè inuenire, neque inuētam fortiter defendere, sine Dialectices subsidio, superiores disciplinæ queant.

ALIVD EXEMPLVM.

Sit exempli caussa huius thematis (*Rhetorica scientia est præclara*) veritas, alio eam oppugnante, defendenda: ad hunc modum licebit disputationem instituere.

OPPVGNANS.

Rhetorica nihil aliud est quàm vanus quidam & inanis verborum fucus; igitur non rectè dicis eam esse scientiam præclaram.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Rhetorica nihil aliud est quàm vanus quidam, &c. Nego antecedens.

OPPVGNANS.

Antecedens probatur: nam Rhetorica docet periodos ita contexere, vt in iis sint mēbra nunc ab iisdē vocibus incipientia, nunc in easdem voces cadentia: item quòd fugienda sit terminationum similitudo, & quòd in syllabas longas suauiùs cadat oratio, & id genus similia.

DEFENDENS.

Sic probas antecedens, Rhetorica docet periodos ita cõtexere, vt in iis, &c. Cõcedo quod assumis, id nimirū in Rhetorica doceri. OPPVGNANS.

Eiusmodi minutiæ corrumpunt potiùs quàm commendant

mendat dignitatem orationis, quemadmodum fucus naturalem formam: ergo rectè inani fuco Rhetoricam initio comparauimus.

Solutio. Defendens.

Sic argumentaris, Eiusmodi minutię corrumpunt potiùs, &c. Nego antecedens, & ratio est: quia tametsi istæ res minutissimæ quidem per se sint, imò si intēpestiuè adhibeantur, etiam prorsus ridiculę; tamē si prudenter & secundùm Rhetoricæ præscriptionem illis vtamur, adeò nō corrumpunt naturalem orationis dignitatem, vt etiam illi venustatem atque splendorem adiungant: quibus rebus efficitur, vt suauissimè & altissimè in audientium animos influat atque penetret oratio.

Oppugnans.

Soluis argumentationem, dicens, Illas minutias seorsum quidem consideratas haud magni esse momenti, tempestiuè autem adhibitas plurimùm orationis vim adiuuare. Contra istam solutionem ita argumentor: Vir prudens & doctus ad probandam vel improbandam orationem, rem ipsam quæ verbis subiicitur, non verborum tinnitum considerat: igitur inutilis est omnis illa diligentia quæ in sonora & venusta oratione quærenda ponitur.

Defendens.

Ita contra meam solutionem argumentaris, Vir prudēs & doctus ad probandam, &c. Nego istā consecutionem.

Oppugnans.

Probo consecutionem, Cuius in oratione probanda vel improbanda nulla habetur ratio, illud frustra in oratione adhibetur: at in oratione vel probanda vel improbanda nulla habetur ratio venustatis eius: igitur superuacanea est eiusmodi cura, & frustrà in oratione adhibetur venustas.

DEFENDENS.

Sic argumentaris: Cuius in oratione probanda vel improbanda nulla habetur ratio, &c. Nego secundam partem antecedentis.

OPPVGNANS.

Probo secundam partem antecedentis: Vir prudens & doctus, vti iam concessisti, res ipsas & rationum momenta ponderat, non verba numerat ad orationem vel probandam vel improbãdam: ergo rectè positum fuit in secunda parte antecedentis, nullam haberi venustatis rationem in probanda vel improbanda oratione.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas secundam antecedentis partem: Vir prudens & doctus, vti iam concessi, res ipsas, &c. Nego consecutionem istam esse firmam: & ratio est, quia tametsi hoc demus, orationis ornatum apud hominem prudentem & doctum nihil prodesse (quamuis secus se res habeat) nõ tamen ob id continuò sequitur, omne orationis decorandæ studium esse vanum & inutile, cùm sępissimè ad indoctos & imprudentes, quorum maxima est multitudo, habenda sit oratio, qui cùm rationum vim percipere nequeant, orationis splendore & dignitate veritatem eius metiuntur. Consequitur ergo, Rhetoricam ad cuius professionem hæc pertinent, scientiam esse, vt initio diximus, præclaram, & ad res salutares vtiliter hominibus proponendas vehementer necessariam.

His paucis, rudi quidem & crassa Minerua, sed tamen conuenienter, vt arbitramur, nostro instituto, disputandi exemplis in morali, & naturali materia propositis, vsitatam in hac nostra academia disputandi rationem exprimere conati sumus: vt illi, quibus academiam hanc adire vel nõ libet, vel non licet, ex isto libello quæ sit optima, & in nostra academia longissimo vsu comprobata

probata diſputandi ratio, intelligere queant: & ij qui Dialecticæ diſcendæ cauſſa huc ſe contulerunt, videant diſputandi artem & exercitationem non modò valere ad altercandum de Dialecticis & leuiuſculis quæſtionibus, ſed etiam ad ordine & ratione de grauiſſimis quibuſque rebus diſſerendum, plurimum habere momenti.

Certè conſtat ipſum Ariſtotelem, cùm ſuos diſcipulos in Dialecticis diſputationibus exerceret, ex ciuili atque morali diſciplina, illis theſes propoſuiſſe. Quod quidem vtiliſſimum atque laudatiſſimum ſui Principis exemplum, Peripateticos imitari conueniret, vt intelligeret iuuentus dialecticas præceptiones non modò ad ieiunas & ſpinoſas quæſtiones ſubtiliter diſputandas; ſed etiam ad maximarum rerum veritatem tuendam, falſitatem verò oppugnandam profligandamque plurimùm valere. Sed de his ſatis.

Quibus intellectis & diligenter memoriæ commendatis, exercitationeque & vſu cõfirmatis, cuiuis (modò cum mediocri rerum cognitione, reliquarum quoque Dialecticæ partium accedat perceptio) facillimum fuerit, rem quamuis in diſputatione tum defendere, tum oppugnare: quod per quotidianam experientiam manifeſtius eſt, quàm vt alia egeat probatione.

Omnium eorum quæ hactenus de disputatione rectè dialecticéque instituenda à nobis dicta sunt, ad iuuandam discentium memoriam, breuissima comprehensio (quæ loco indicis esse potest) notis arithmeticis paginam, vbi latius singula explicantur, indicantibus.

DISPVTATIONIS

- Vsus est, falsitatē euertere, & veritatem in lucem producere. Pag. 90
- Leges
  1. Vitanda esse ambigua, aut distinguenda. 90
  2. Palàm falsum non esse defendendum, nec verum temerè oppugnandum. 91
  3. Disputātes sedato debere esse animo, & ab omni perturbatione libero. 91
  4. Principali controuersia relicta, non esse ad parerga digrediendum. 92
- Instrumentū est, argumentatiō, cuius
  - Species sunt
    - Legitima,
      - Necessaria, 92
      - Verisimilis.
    - Vitiosa.
  - Partes
    - Antecedens,
    - Consequens,
    - Coniunctio, vnius ex altero consecutionem declarans.
- Auctores
  - Oppugnans: cuius tripartitū est munus:
    - Inuenire argumentum contra thema respondentis. 93
    - Probare quæ à respondente negantur.
    - Solutionem ab eo datam repetere primùm, ac deinde oppugnare.
  - Defendens: cuius triplex est munus:
    - Thema suum intelligere, ac difficultates illius omnes perspectas habere. 95
    - Semper considerare quid contra ipsum obiiciatur.
    - Quod obiicitur, clarè & perfectè repetere, & deinde maturo adhibito iudicio aptū dare responsum ad
      - Antecedens, vel ad id quod est assumptū Sic
        - Verū: cōcedēdo. 97
        - Falsum: negādo.
        - Ambiguū: distinguendo.
      - Cōsecutionem Sic
        - Firma: eā concedendo 98
        - Infirma: eam negando.
        - Ambigua: eā distinguendo.
- Exempla varia
  - Ex Paradoxis Ciceronis. Pag. 10.
  - Ex tertio Ethicorum Aristotelis. 102. 106. &c.

APPROBATIO.

HVNC *Prodidagmatum de Dialecticis vocum affectionibus libellum, magna cura & diligentia recognitum, nihil quod sanæ & catholicæ doctrinæ aduersetur; sed plurima quæ politiori & philosophicæ disciplinæ magnoperè conducant, habere iudico: ob idq; cum summa vtilitate iuuentuti in omnibus Catholicorum scholis prælegendum esse censeo. Anno* M. D. LXV. *octauo Calend. Maias.*

CVNERVS PETRI à Brouwershauen, Pastor S. Petri Louanij, & sacræ Theologiæ magister.

Idem & ego censeo, CORNELIVS REYNERI Goudanus. 19. Septembr. 1569.

CONCESSVM *est per patentes Reg. Maiest. litteras, clarissimo viro, sacræ Theologiæ doctori, & suæ Reg. Maiest. in academia Louaniensi litterarum sacrarum professori,* D. AVGVSTINO HVNNÆO, *vt libros suos* (Logices nimirum Prodidagmata, & Dialecticam) *ante annos duodecim editos, & postcà quàm diligentissimè castigatos, cui velit iurato typographo tradat imprimendos ac distrahendos. Interdictum quoque est aliis omnibus, quicunque demum illi sint, ne eos imprimant, aut alibi impressos, in ditiones Regiæ Maiest. distrahendos importare tentēt, spatio decē annorum proximè sequentium, sub grauibus pœnis, quas litteræ exprimunt, datæ Bruxellis die* XVIII. *mensis Septembris, Anno* M. D. LXV.

Signatæ

Mesdach.

Idem aliis quoque patentibus litteris, pro totidem annorum spatio cautum est & concessum in concilio Brabātiæ, die VIII. *Octobris eiusdem anni, & signatum*

De Witte.

Prætereà vtriusque conciliy priuilegio omnibus ludimagistris, tam in triuialibus scholis, quàm in academiis, conceditur, vt dictos libellos litterarum studiosæ iuuentuti prælegant.

Signarunt qui suprà,

Mesdach & de Witte.